

Tomus XIII
Miscellaneorum Philoby.

[Handwritten signature or initials]

These
Diff
Gr
J
M
P
Ex
Per
Ex
C
S
A
Ex
C
E
E
D
C
E
T
P
G
E



Thesaurus Gibelij. ^{Tomus II} Philol. ¹⁰
 Difficultatum enodatio ejusd.
 Grammatica Hebraica Hummij.
 Iudicij Ebraeorum.
 Floribus Gallicis etc. Schneideri.
 Positiones Philologicae Graecae N. T.
 contextum concernentes.
 Ex Philologicis Graecis.
 Pentas observationum Graecar.
 Exercit. Philol. ad 1. Timoth. 4. com. 3.
 Christi passione.
 Sennerti introductio brevis ad lingu.
 Arabicam.
 Assertionum Ebraicarum tria.
 Exercit. Philol. ex Iudicium XI. v. 30. etc.
 Quadrata characterum Ebraeorum figur.
 et antiquitate.
 Ex oraculo Iesai VII. com. 14.
 Exercit. Philolog. e literatura Graec.
 Hebr. Chald. Syriae Arab. Ethiop.
 Divino nomine Elohim .1. 2.
 Cabala Ebraeorum.
 In Psalmum primum Exercit. Philol.
 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Sennerti.
 Exercit. Philol. ad c. 34. v. 5. 6. 7. 8.
 Deuteron:
 Testamentum Davidicum disp. 1. 2. 3. 4.
 Pontificatum Moysis.
 Gerhardi Exercit. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.
 ad N. T. Syriacum.
 Exercit. Philol. ad comm. 22. cap. 21.
 D. Iohannis. 1. 2. 3. Gerhardi.

Festis Orientalium .1. 2. 3. 4. ejusd.
 Ritu foederum Gens Ebraeor. ejusd.
 Pentas positionum ex Ling. Ebraea, Chal.
 daea, Syria, Arabica et Ethiopica.
 Mysterio Trinitatis.
 Erroribus Claud. Salmasii in Theol.
 Psalmi rdi Expositio.
 Integritate fontium Ebraeorum .1. 2.
 Synagogis veterum Ebraeorum .1. 2. 3.
 Exercit. Philol. ad c. 2. Luc. comm. XV.
 Analysis ducti 1. Tim. 4. 8.
 Antiquo scribendi genere.
 varijs Germaniae Praefex. Etatibus.
 Festo Natalitiorum etc.
 Hypomnemata Philol. in N. T. glecty Graec.
 Exercit. Philol. de utilitate necessitate
 Arabismi.
 Positionum Eras ad c. 4. Gen. comm. 1.
 Exercit. Philol. ad c. 3. Gen. comm. 15.
 Pentas positionum Hugio-Criticarum 1. 2.
 Versionibus ac translationibus V. T.
 Diss. Philol. super Psalm. 110.
 Theses Philologicae
 Exercit. Philol. ad c. 5. Hallstaei.
 Sepulchro Christi.
 Cruce Christi.
 Titulo cruci Salvatoris praefixo.
 Enigmatica Senecitis et mortis
 descriptio.
 Calceamentis Iudaeorum.
 Ling. Ebraea antiquitate et unitate.
 Exercit. Philol. ad c. Gen. XI. 1. 2. 3.
 Exercit. Philol. sup ps. 2. et 3. cap. 1. Hof.

Gratiarum actio Ebraic. prestita
pace.

Sybillis.

Stellis tam usitatis quam inusitatis.

Stellis tam fixis quam erraticis.

Eclipsibus.

Requisitis Geographicis.

Discursus Astrologicus.

Ortu & Occasu Stellarum.

Decas quaestion: physico-Mathemat.

Exeplis macularum solarium.

Cometis.

Magorum ad cimas Immanuelis
patia et stella.

Anno.

Computo veterum Romanorum.

Computo Turcico-Arabico.

Periodo Iuliana.

Natali mundi.

Anno natiuitatis Abrahami etc.

Natali Immanuelis.

Tempore Diluuij.

Passionis ac mortis Christi tempore.

Anno Ebraeorum Ecclesiastico.

Refractionibus siderum.

Moti solis spirali.

Causis fluviorum extraordinario-
rum.

Musica Theoretica.

Orat. Ebraic. de quaestione An
Iesus sit verus et promissus mun-
di messias.

Mysterium Arithmeticum.

3
T H E S A V R V S

DICTIONUM HAGIO-
GRAPHICAE LINGVAE CHALDAEAE EX
CANONICAE ANTIQUITATIS PURITATE, DA-
nielis nempe & Ezrae residuis monumentis Chaldaeis colle-
ctus: In quo concinnando in id potissimum opera data est, ut
dictiones Hagiographicae Chaldaeae à crudioribus Iudaeo-
rum & Pontificiorum, praesertim Roberti Bellarmi-
ni & Guidonis Fabricij & aliorum illitis aequi-
vocationibus ac depravationibus
defecarentur.

*In illustri Vitebergicâ Academia publicè pro-
positus disputationi tertiæ:*

Cujus sectio prima οὖν ἦτορ

In Auditorio majore Theologico

Ad diem 25. Octobr. ventilabitur,

P R A E S I D E

M. ABRAHAMO GIBE-
LIO TORGENSI,

R E S P O N D E N T E

M. PHILIPPO ARNOLDI
Cintinensi Borusso.

V V I T E B E R G A E ,

Typis Cratonianis, per Iohan. Gorman, Anno 1606.





MAGNIFICIS AC GENE-
ROSIS DOMINIS

Illustrissimi & Serenissimi Principis ac Domini

**Dn. IOACHIMI FRI-
DERICI ELECTORIS BRANDEN-
burgici, Ducis Prussiae &c. Consilia-
rijs in Prussia supremis:**

Dn. LVDOVICO RAVTERO
Praefecto provinciali:

**Dn. VVOLFFGANGO à VVERNS-
DORFF, supremo Regiomonti Burggrabio:**

Dn. CHRISTOPHORO RAPP:
Cancellario dignissimo:

Dn. IOHANNI ALBERTO BORCK,
supremo Marschallo:

NEC NON

Magnifico itidem & generoso

**Dn. MARTINO de VV'ALLEN-
RODT arcis & territorij Balgensis capi-
taneo praclarissimo & DVCS Prussiae**
Consiliario provinciali primario:

*Dominis Mæcenatibus, patronis ac Promotoribus omni
reverentia cultu aternum honorandis.*

S.

Quanta

Quanta Hebraea ac Chaldaica lingua, Generosi & Magnifici Domini Macenates; quae verus curia divina stilius est, sit necessitas, quantavé cum necessitate conjuncta Theologia potissimum studiosis utilitas, omnibus, eam, quae par est, diligentia & dexteritate expendentibus, facilimè, me etiam tacente, in concessio & confesso esse queat.

Sive enim Ἰσχυρῶς ἢ ἐρμηνείων sacrarum literarum, sive τῶν αὐτῶν λέγοντων ἐλέγχων, respiciamus; nihil eâ utilius, nihil jucundius, nihil magis necessarium comperimus. Hebraea lingua cognitione imbutus, non tantummodo Deum teropt: max. sine interprete loquentem audit, intelligit, adeò ut alienis oculis perpetuò cernere, & alieno judicio credere non opus habeat: sed & Θεολογίας dictionumq; pondera, & ipsa tremenda mysteria, quae in alias linguas transfundi tam aptè nequeunt, coram animadvertit, eruit, explicat. Quid? quod & ille Antichristi satellitibus, qui Germanicam D. Lutheri versionem mirâ fide & dexteritate translata sugillant, sugillatam exterminant; quâ est παρρησία, constantè resistere; eorumq; κωδείων ἐν πανουργία πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης, ad oculum demonstrare intrepidè possit. ἐν τῷ ἐλέγχειν verò τὰς αὐτῶν λέγοντας tantum cum verae religionis hostibus pugnantè affert praesidij, tantum roboris, Ebraea lingua cognitio; ut sepius ipsorum argumentum, quod amplectuntur, collaudant & exosculantur ut firmum, ut Achylleum & ἀδιάλυτον; unicâ ex fontibus rectè perceptâ vuculâ, in fumum dissipetur. Id quod quamplurima sacrarum literarum exempla plus satis evincunt. Non rehero jam Mariolatrarum πρῶτευαγγελίης depravationem, & quidem intolerabilem: qua re ipsâ Maria δὲ πρὸς θεῶν religiosamq; adorationem probaturi, ex veteri falsâq; Gen. 3. v. 15. Ipsa conteret &c. versione, serpentini capitis contritionem, nescio quâ audaciâ, quâ blasphemîâ, eidem attribuunt. Sed id vel maximè observationem meretur; quod ex Dan. cap. 4. v. 24. latinâ versione freti, peccata tua Eleemosynis redime &c. opinioni suae de operum justificatione horrenda, γλαύκωμα fingere haud erubuerunt.

erunt. Verùm enim verò textus Chaldaicus, si mente expensitetur
altiùs, ipsorum interpretatione nihil puerilius, nihil absurdius, nec
dici nec excogitari posse, luce meridianâ clariùs patescit. Insignem
hanc & planè divinã in Theologiae Studiosos ex Hebraâ & Chal-
daicâ linguâ redundantem utilitatem, quã potui, & anglicâ &
diligentiã evolvens; nihil magis in votis & optatis habui, quàm
ut & mihi, studiis Theosophicis devotè addiçto, lingua utriusq;
hujus sacrosanctæ cognitionem compararem. Votis hisce ex animo
profectis Deus teropt: max: prosperum & felicem largitus est suc-
cessum. Etenim non in patria modò Academiã, Præceptore Viro
Clariss. M. Georgio Mylio, S. lingua professore publico, mediocre &
quale quale feci exordium: sed & jam Vitzbergæ studiorũ gra-
tiã degens, omnem moveo lapidem; partim ne studia illa feliciter
cepta interrumpere omninò videar; partim ut solidius jacens fun-
damentum, fructum inde deportem uberrimum. Quamobrem
cum mihi nunc, sub prasidio viri Clar. M. Abrahami Gibelij, gra-
vissima hæc materia contra Pontificios & alios, sub Respondentis
nomine, publicè ventilanda ob veniret, eam à me removere nec po-
tui nec debui, ambabusq;, quod dicitur, in divini nominis gloriam
meumq;, emolumentũ maximum, hanc mei exercendi copiam am-
plexus sum manibus. Mihi verò cogitanti, quibus presentem
hanc disputationem inscriberem & consecrarem: nulli aliq;, qui ma-
jore hoc sibi vendicare possent jure, quàm M^r & G. V^r, sese offere-
bant. Est enim, animi ingenui, dicente Tullio, multum quibus de-
beat, iisdẽ multum velle debere; & grave homini prudẽti, accipere
aliquid magnum ab ijs quos de se jam antè benè meritos sciat; nec
tamen id operam dare, ut suum vicissim erga benefactores, quocũq;
officij genere, gratum declaret memoremq;, acceptorum beneficio-
rum animum. Hoc profectò non minùs graviter, quã elegenter ab
ipso eloquentiæ parente dictũ, in me non male quadrare, video &
libenter fateor. Ecquis est? qui non, ratione nisi prorsus exutus,
intelligat; Illustriss. & Sereniss. Principem D. IOACHIMVM
FRIDERICVM Electorem Brandenburgicum, Ducem Prus-
siæ, Dominum nostrum clementissimum: in quẽ optimè competit
Home-

Homericum illud: ἀμφότερον βασιλεύς | ἀγαθὸς καὶ τερός | αἰχμητής:
Marum & G. Varum curâ, industriâ, vigilantia, nocturnâ diurnâ, tam
sanctè, tam prudenter, tam integrè patriam desideratissimam gu-
bernare, conservare: tum ut unâ cū artibus liberalibus vera Chri-
stiana religio, tam à Pontificiorum quàm Calvinistarum sordibus
intaminata vigeat, floreat: tum ut aurea pax, quam poscimus o-
mnes, largissimâ Dei adhuc benedictione & Marum & Gen: Varum
consilijs sanctissimis inter tot procellarum fluctus conservetur. Ec-
quis nescit Marum & G. Varum in stipendijs erogâdis μεγαλοπέπεισιν
planè heroicam? qua & me, cui obstat res angusta domi & curta
supellex, in Regiomontanâ Academiâ commorantem paternè affe-
cerūt: quò in studijs (quæ nisi G. Varum Magnificentia sublevatus,
citra animi sententiam, renunciare fuisset coactus) progredi eò
faciliùs potuerim. Quid autem grati speciminis pro tantis in me
collocatis beneficijs offerrem? Facultatem si respicio meam, ingenuè
fateor, eam non esse tantam, quæ Marum & G. Varum benefactis re-
spondere queat. Voluntatis igitur, in chartaceo munusculo mit-
tendo, signum, eâ, quæ par est, & observantiâ & subjectione Mis &
G. V^{is} offero: quod ut sereno placidoq; dignentur vultu, meq; sibi
habeant commendatissimum, rogo atq; obtestor. Quod restat, præ-
potens ille Magistratûs custos Mas & G. Vas suo sancto spiritu ita
regat & ducat, ut omnia ipsarum consilia in supremæ Majestatis
gloriam inq; patriæ edificationem vergant maximam. Per-
scripsi Vitebergæ à Museo addiē Michaelis unici μεσίτης & ἐπέ-
της nostri. Anno παρθενοποιίας 1606.

Mag. & G. Vis.

addictissimus, observantiss.

M. Philippus Arnoldi Cinti-
nensis Borussus.

A 3

Autor



Autor Lectoribus Philologis S.

Postquam antehac partim diuturniore chalcographia (ita ut fit) in operis Hebraeis aut Chaldaeis edendis minus expedita morâ, partim etiam alijs impedimentis interceptus fui, quò minus ceptam meam Thesauri Chaldaei expositionem ad praestitutum tunc tempus persequi potuerim: eam interea temporis moram, Lectores benevoli, nolui sine vestro in hisce uberiore commodo in cassum abire. Manum igitur admovi, ac in restante Disputatione tertiâ, praeter diligentem extricationem labyrinthicorum aequivocationum à Guidone Fabricio in Opere Regio Antuerpiano in voculas Chaldaicas congestarum, adjeci etiam polysemiarum Francisci Raphelengij in eodem Opere Regio ipsdem Voculis in S. Hebraea Linguâ assutarum comparationem legitimamq; dispersionem. Cum itaq; tum ex hac causa, tum per se disputatio ea tertia in bene multas paginas excrescere necesse habuerit, & verò in proxima etiâ συζητήσεως exercitio deprehenderim, tres consuetas collocutionis horulas nimis parùm concedere spacij omnibus gravioribus praesentis materiae questionibus pro luculentâ suâ dignitate sigillarim examinandis & evoluendis: nihil adeò cause putavi, cur etiam nunc reliquarum questionum in parte tertiâ pregnantissimarum copiam breviculâ talium trium horularum disquisitione coarctari paterer. Haud indignum proinde ratus sum, collocutioni, de reliqua ista parte instituendae, paulò plurium horarum spacium vendicare, subdivisâ nempe ejus operâ in sectiones hasce quatuor: Quarum hîc prima caterarum simul usum uberius ostendens ceu in eisdem praemittet & absolvet residuam doctrinam de servilibus particularum Hagiographicarû inseparatis praefixionibus Chaldaeis, non ijs quidem omnibus, siquidem de א & נ. & י & ד sententiam nostram exposuimus supra suis locis, sed de residuis tantum duabus, nempe ה & ו. De quarum priore sic habeto.

De



De præfixione inseparatâ particulæ 7.

THESIS I.

7 Particula inseparata cum serviliter præfigitur *Nominibus, pronomibus aut participiis*, propriè & constanter valet notam *Dativi*. Qui *Dativus* quia longè frequentissimè usurpatur, ubi debet designari applicatio motûs adversum aliquid: ideoq; nunc de effectu, nunc de fine, nunc de objecto, &c. pro ratione subjectæ materiæ loquitur.

2. Quando autem ea particula *Verborum Infinitivis* præfigitur, facit eos, nisi *Nominaliter* ponantur, pro diversâ constructionis ratione apud *Latinos* efferri per *Gerundium, Futurum, Modum-ve Subjunctivum*: aut certè *Verba* in modo *Infinitivo* applicat alij dictioni, à qua *Infinitiva* constructio dependet. *Hunc* præfixionis 7 usum evidenter comprobant loca scripturæ penè innumera, tam *Hebræa* quàm *Chaldæa*. Sufficit hîc aliqua saltem *Chaldæa* testimonia in medium afferre, ut: *Dan. 2, 20, 28, 43, 45. cap. 3, 18, 19, &c.*

3. Item, priorem illum notæ *Dativæ* usum, cum *Nominibus* aut *Pronominibus* aut *Participiis* præfigitur, sufficienter evincunt exempla, *Dan: 2, 5. cap. 4, 9, 14, 16, 23. cap. 5, 1, 17, 27. cap. 7, 5, 6, &c.* In hisce sententijs *Literam* 7 præfixam habere proprium suum usum, quem propriè debet obtinere ante *Nomina, Pronomina & Participia*, à nemine sano unquam loca allegata considerante ambigi potest.

4. Quòd si verò hæc *Litera*, *Nominibus* constructa, est propriè nota *Dativi*; non potest eadem, *Nominibus* constructa, alibi esse propriè nota *Accusativi* aut *Genitivi* aut *Nominativi*, aut *Adverbiorum*, *Postquam, Quasi, Adeò* ut, &c. aut *præpositionum* *A, Ab, Ex, In, In tantum, Ad, Quantum ad, Apud, Iuxta, prope, super, pro,*

pro, propter, post, vsq; , vsq; ad, &c. Et contra: Si præfixio ζ , Nominibus constructa, alicubi esset proprie nota Accusativi aut Genitivi aut Nominativi aut istorum Adverbiorum aut reliquarum Præpositionum; utiq; prorsus nullibi potuisset eadem, Nominibus constructa, esse proprie nota Dativi. Nisi uni eidemq; simplicissimæ dictiunculæ, in uno eodemq; constructionis genere constitutæ, duas simul pluresvè inter sese longè discrepantissimas proprietates sine ullâ etiam necessitatis causâ ἀσύντων in modum assignare velimus. Clarè hinc cuivis attento evincere est, proprietatem certè præfixionis ζ Nominibus constructæ non esse ullam aliam, nisi quòd ijs præstat vim notæ Dativæ suprâ explicatam.

Genuina proprietas præfixionis ζ Nominibus constructæ.

5. At dicis: Forfan verò nemo quisquam unquam somniavit, memorata illa interpretata Adverbiorum & Præpositionum & notæ Accusativi, Genitivi aut Nominativi; esse præfixionis hujus proprietates. Quid si essent proprietatis figuraciones?

Figuratio præfixionis ζ nulla.

6. Respondeo. In textibus Biblicis nunquam admittenda est ulla figuratio, donec nos à significationis proprietate ad figurationem inevitabiliter adigat aliqua absurditas, in contextûs οὐκ ἐπιείκων aut in analogiam fidei impingens.

* Exempla illa præfius examinantur in questionibus contra Institutur. Bellarmini.

7. Atqui verò ex totâ puritate Hebræâ nullum prorsus exemplum dari potest, neq; * exemplorum hoc genus à Grammaticis Interpretibusvè adduci consuetorum ullum uspiam satis constans, aut saltem probabile, deprehendi potest, in quo absurditas ulla aut necessitas inevitabiliter à præfixionis ζ Nominibus constructæ proprietate dativâ ad aliquam figurationem depellat, modò diligenter ubique nativa illa Dativi suprâ explicata coherentiumq; cujusq; contextûs verborum vis, & constructio Hebræorum Chaldæorumvè genuina penitiùs attendatur.

8. Quocircà meritò constanter unicam illam præfixionis ζ Nominibus constructæ proprietatem Dativam, sine omni figuratione aut ociosâ ζ redundantia, simpliciter retinemus & urgemus.

9. Statuimusq; hinc, præposterum prorsus & perniciosum figmentum esse Rabbiorum (quod legere est in Institutionibus Pagnini lib. 1. cap. 19, & lib. 4, Regulâ 22. & 23. ex priorè parte Michlol R. Davidis Kimhi) nec non Roberti Bellarmini in Institu-

Institutionibus ejus Hebraicis lib. 2, cap. 1, & lib. 4, cap. 2. & aliorum quoq; eis in hoc astipulantium: qui usitato æquivocandi cacoethi assueti, securi docent, Hebræorum & Chaldæorum præfixionem ζ , Nominibus constructam, esse modò notam Dativi, modò Accusativi, modò Genitivi, modò Nominativi, modò significare Adverbia hæc vel ista, modò Præpositiones, supra recitatas, &c.

10. Neque fermè quisquam eorum vult expendere, quàm periculose id doceatur, quodq; eâ licentiâ Iudæis, Pontificiis & alijs veritatis hostibus lata stropharum aperiatur porta, ut nisi semper primò nativa isthæc proprietatis Dativæ notæ constantia ostendatur & urgeatur & à reliquis secundarijs accidentarijs interpretationibus *exactè & expressè* distinguatur; interpretes postmodum modò hanc modò illam interpretationem, pro lubitu, apprehendant, etiam ubi prorsus nulla figuræ aut variationis necessitas. Unde nempe creberrimè fit, ut in contextibus Biblicis, non ibi prius attentâ notæ Dativæ proprietate, postmodum hujusmodi ζ interpretationibus Nominativis, Genitivis, Accusativis, Adverbialibus & Præpositionalibus emphaticus ac genuinus autorum Biblicorum sensus hebetetur atque prorsus enervetur.

11. A paucis quoq; justè expenditur, quòd isthoc æquivocationis commento ancipites redditi, compluribus in scripturarum locis, pro certâ earum sententiâ nescio quem cothurnum imaginari cogantur, etiam ij, quibus alioqui, fluctuantibus hominum Linguarum Spiritus Sancti imperitorum versionibus & glossationibus meritò relictis, unice cordi est, tandem aliquando certum ac constantè, in originalibus authenticis infallibilibus oraculis non nisi ipsorum autorum Prophetarum sensui congruentem sententiam explorare, firmamq; hoc pacto & fixam certitudinis & salutis suæ anchoram apprehendere. Qualem verò expositionis certitudinem, mirum, quàm variè Mæandrææ hujusmodi æquivocationes labefaciunt: non verò mirum, si non id securi & omnium rerum copiâ ac voluptatibus circumfluentes, sed inter tentationum demum procellas constituti, nimio perè experiuntur.

12. Atque ut Iudæorum strophas, quas illi ad miniculo hujus æquivocationis hîc machinantur, nunc præteream, utpote à qui-

*Error Rabbino-
rum, & Roberti
Bellarmini, &
aliorum.*

*Incommoda &
pericula æquivo-
cationum præfi-
xionis ζ .*

*Ufus doctrine de
constantia signi-
ficationis in lre*

B

bus no-

vis servilibus
præfixis, duobus
porismatis osten-
sus.

Porisma prius,
continens ἑξῆς
ἄλλο Papisticae ar-
gumentationis
pro fictitiâ Pon-
tificiorum duliâ,
morbidissimis
fundamentis ex-
tructa.

Verba R. Bellar-
mini, lib. 1. de
cultu sanctorum,
cap. 18.

bus nobis minus est periculi: satis est, ne justæ brevitatis limites nimio perè excedamus, paucula saltem hic Pontificiorum quædam epicheremata detegere, inibiq; usum hujus doctrinæ de unica ac constanti præfixionis ἧ vi quodammodo insinuare.

13. Quando namq; , beneficio hujus solidæ doctrinæ de cōstanti significatione Dativâ præfixi ἧ, deprehendimus pravitatem versionis vulgatæ Latinæ in illo Danielis 2, 46, *Nabuchodonosor cecidit in faciem suam & Daniele adoravit*: & in illo Psalmi 99, 5, *Adorate scabellum pedum ejus*: quippe ubi Chaldæorum & Hebræorum Dativi לְדָנִיֵּאל & לְהַרְוֹם viciosissimè in Latinâ vulgatâ sunt conversi in *Accusativos*: exinde ante omnia valenter elicere & demonstrare possumus, putidissimâ prorsus vanitate, nempe non nisi Grammaticis vulgatæ Latinæ versionis erroribus turpissimis inniti argumentationem Pontificiam Synodi secundæ Nicenæ, Actione secunda, nec non R. Bellarmini, Romani Cardinalis, quando ex allegatis Danielis & Psalmi versiculis conantur evincere mediam quandam cultûs sive adorationis speciem, rebus sacris, angelis atq; hominibus sanctis debitam, minorem nempe cultu divino, majorem tamen cultu civili mereq; humano.

14. Eam enim adorationis speciem mediam conatur R. Bellarminus probare in hunc modum. Primum argumentum, inquit, sumitur ex illo Psal. 99, *Adorate scabellum pedum ejus quoniam sanctum est*: ubi ad literam per scabellum pedum Domini intelligitur arca Testamenti, &c. Jam verò, quòd in hoc loco præcipiatur aliquis cultus, patet ex verbo *Adorate*, quod etiam Hebraicè est proprium verbum Adorationis אֲדָרָה. Quòd autem arca sit creatura, nulli dubium esse potest. Quòd deniq; iste cultus non sit civilis, sed religionis, patet ex ratione Davidis, Quoniam, inquit, sanctum est, hoc videlicet scabellum. Cultus enim civilis debetur rebus propter civilem & humanam excellentiam: at arca dicitur adoranda, non propter civilem excellentiam, sed quia sacra & sancta est, cum sit scabellum pedum Dei, &c.

15. Et paulò inferius inquit. Potrò probatur id ex adoratione sanctorum in Scripturis. Nam Danielis 2. *Nabuchodonosor adoravit Daniele*. Quis autem diceret aut crederet, à rege summo adoratum civiliter unum ex captivis, qualis erat Daniel? Adoravit ergo eum religiosè, ut hominem Deo plenum. Neq; per errorem adora-

adoravit, Deum illum existimans: nam adorans ait; verè Deus vester Deus Deorum est, &c.

16. Animadvertit porrò ipse Jesuita, in interpretatione illà *Accusativâ* niti propè universam proram ac puppim ac omninò potissimam argumentationis suæ vim: quo *Accusativæ* interpretationis nervo inciso, facile videt, totum ex eâ speratum argumenti sui bolum pessum sibi inter manûs ac mentum turpiter esse in puteum prolapsurum.

17. Quocircà, nares habens, omni nisu ac clamore ulterius diligenter præoccupat, inquiens: Non ait David, Adorate in scabello, sed *Adorate scabellum*. Et, *Septuaginta Græci & Hieronymus etiam verterunt, Adorate scabellum*. Et mox: *Vbicunq; ferè in Scripturâ habemus, Adorari aliquem, constructio fit cum 7*. Nempe ubi dolor, ibi manus, ô bone!

18. Probè attendat hîc Lector, ipsum adversarium rem eò deducere, ut tandem totum fermè suæ hujus palmaria argumentationis asylum constituat in præfixionis 7 vi *Accusativâ*.

19. Atqui verò, Bellarmine, hoc ipsum pessimè factum, quòd servile 7 aliquoties in vestrà vulgatâ Latina, contra genium ac naturam authenticæ Linguae, fuit cum detrimento genuinæ sententiæ conversum in vim *Accusativi*. Hæc ipsa nempe est arena, hic ipse campus, de quo obtinendo non minùs acris dimicatio se offert, quàm de ipso, quem hic intendis, principali scopo: dum nempe in his quoq; duobus locis præfixio *Dativa* 7 perversissimè est in vestris Latinis translata in vim *Accusativam*. Et tamen tu, Chrysippeum acumen, eam hoc loco vim *Accusativam* ceu præsuppositi & concessi fundamentalis principij loco substernis, in quo postmodùm totam fermè tuæ hîc causæ acropolin ex ædificas.

20. Sed quam nunc ipsam, cum Deo duce, aggredi, eòq; fundamento subrutam ac disjectam levibus ventis ludendam tradere, arietibus nostris in parato est: fretis primò suffragio constantissimo usûs Biblici authenticæ, qui nullibi aliâ præfixionis 7 Nominibus constructæ proprietatem ostendit, quàm vim notæ *Dative*, non *Accusativæ*: uti suprâ thesi 3 & 4. abundè ostensum.

21. Sed ponamus, quòd forsan in quibusdam alijs scripturæ locis aliquando necessitas aut absurditas quædam depellat à significatione eâ propriâ ad figuratam variationem; id quod tamen nemo quisquam hætenus ullo exemplo Biblico sufficienter

Argumentum prius, ex proprietate præfixi 7 ostendens interpretationem Accusativam in allegatis duobus locis Biblicis non posse subsistere.

obtinuit: tamen quia his duobus locis ista præfixionis Dativæ
proprietas neutiquam ullum importat in expositione absurdum;
utiq; adhuc eam his ipsis duobus locis sine omni figuratione aut
æquivocatione meritò strictè retinemus & urgemus.

Propositiō major.

22. Neq; enim me pœnitet subinde inculcare usitatum com-
probatissimum axioma aureum, quod meritò instar communis
principij & instar inviolabilis canonis omnibus sinceris scri-
pturarum divinarum interpretibus observatur: ubique nempe in
sententijs B. blicis explicandis esse sectandam & absolutè servan-
dam unicam cujusq; verbi proprietatem certam, in quibuscunq;
talis proprietatis constantia caret omni absurditate inevitabili-
ter cogente confugere ad aliquam figurationem aut proprietatis
variantiam. Alioqui non licet ullibi vel Papæ vel alij ullo pacto à
proprietatis constantiâ recedere sine omni necessitate.

23. Hoc namq; ipsum rationis iudicium dicit, nullam pror-
sus mansuram esse interpretationum Biblicarum certitudinem,
si in scripturarum verbis exponendis liceat significationis pro-
priæ constantiam, sine omni necessitatis causâ, deserere in ijs lo-
cis, ubi nulla omninò expositionis propriæ & constantis absurdi-
tas quicquam urgeat ad figurationem aut simplicis significati va-
riationem.

Assumptio.

24. Jam verò quoad versum quintum Psal. 99, ejus sententia
non minùs concinna quàm verbis Hebræis propria, & simul om-
nibus absurditatibus absoluta, evadit talis: *Exaltate Iehovam
Deum nostrum ac incurvate vos ipsos* יְהוָה *scabello pedum ejus.*

25. Ubi, si propriam Dativæ notæ vim ad literam observes,
sententia hæc emergit, quòd Propheta pios veteris testamenti
cohortatur, ut Deum laudibus extollentes ac orantes incurvent
se scabello pedum Dei, vel (ut mox inibi versu ultimo seipsum
exponit) monti sancto Dei, ubi erat tabernaculum testimonij
& templum cum arca propitiatorij: hoc est, ut religiosas grates
aut preces Deo fundentes non alium locum accedant, aut certè
incurvando sese tunc non convertantur versus alium locum, nisi
versus sanctum aq; Deo ipso edictum locum sanctuarij & arcæ
propitiatorij: huc unicè in omni suo religionis cultu efficiendo
se convertant, & ad illum cultum hoc per ipsum Deum electo
loco exhibitu sese unicè & frequentes adjungant, nec aliis in
mundo

mundo diversi generis religionum cultibus ullo pacto adhærescant, nisi ei, ubi homines incurvantur versus locum sanctuarij & sacri propitiatorii, quippe in quo Deus ipse promiserat condici ac præsentem se exhibere ceu in condicto conventus loco: uti habet emphasis contextus Hebræi, Exodi 25, 22, & Num. 17, 19. -

26. Hanc, in hac Davidicæ gnomes expositione traditam, sententiam per se sanè esse bonam & minimè in sese absurdam, fateri coguntur ipsi adversarii: nisi absurdum esse statuere velint id, quod Dan. 6, 11, Psal. 5, 8, & 2. Chronic. 6, 21, 29, 32, 34, & 38. legimus, quod pij veteris testamenti religiosas quidem grates & preces Deo consecrârint, sed tunc insimul accesserint vel certè sese converterint versus domum Dei sive templum & sanctuarium; externis quidem gestibus, qui ad adorationis divinæ signa pertinent, nempe *vultus & manuum sublacione & genuum incurvatione* conversâ versus situm templi & sanctuarij adyta, ipso verò *cultu ac honore adorationis* non in templum aut sanctuarium sed in ipsum DEUM directo: uti hæc duo disparata, nempe *externorum gestuum directio, & ipsa religiosa adoratio*, ibidem discretis verbis manifestè distinguuntur.

27. Nam de *vultus directione* quidem habent verba Dan. 6, v. 11, quòd fenestras cænaculi sui aperuerit versus Jerusalem: de ipso verò *honoris religiosa adorationis objecto* habent demùm verba sequentia, quòd cultum adorationis præstiterit confessusq; fuerit coram Deo suo. Item 2. Chron. 6. de ipsius *adorationis religiosa objecto* habent verba v. 34, precibus suis interpellabunt ad te. At *vultus & externorum gestuum directionem* moderantur verba sequentia, versus viam urbis hujus quam elegisti, & domus hujus, quam ædificavi nomini tuo: Et de *manuum sublacione* habet v. 29, Et expandet manus suas versus domum hanc.

28. Constat ex his omnibus luculenter, quòd, quam in Davidicæ gnomes expositione tradidi, sententia certè ipsa per se sit bona & minimè absurda. Jam ulterius, quòd hic sensus, quem mutua ipsarum Scripturarum collatio & correspondentia lectori facilimè in manus tradebat, non modò per se sit bonus, sed etiam præsentium Davidicorum verborum propriæ potestati satis aptus & congruus, facile etiam patebit, si modò observes accuratiùs *Dativi proprietatem*, in Hebraismo usitatam.

Probatio, quòd hæc sententia per se nō sit absurda.

Quòd hæc sententia Dativæ proprietati præsentis textus concinna sit.

29. Non enim Dativus Hebræus in illis verbis, *Incurvate vos scabello pedum Dei aut monti sancto aut propitiatorio sanctuarij Hierosolymitani*, postulat protinus hoc, quod pii sub V. T. debuerint sese incurvare isti propitiatorio montivè ipsi *ad exhibendum ei honorem adorationis*; Quod sanè, uti infra etiam pluribus videbimus, neutiquam ulla consequentiæ necessitas inde evincit. Sed, juxta phrasiologiam Hebræorum Dativi propriam, satis est, si hic Dativus ostendat & evincat *objectum motûs ac gestûs illius externi sive incurvationis, adversum quidnam illa fuerit applicata*. Sicuti supra quoq; mox ab initio, thesi 1 & 3, talis phrasiologiæ Dativi Hebræorum propriæ ratio & regulâ & exêplis demonstrata fuit.

30. Cùm ergo exhinc manifestum evadat, sententiam illam constanti proprietati præfixæ Dativæ notæ δ in Davidicâ gnome quàm aptè congruam, destitui in sese prorsus omni absurdo: exinde, vi universalis axiomatis & principij supra recensiti, invictè concludimus, nullo pacto licere, in præsentis textûs Prophetici sensu exponendo recedere à constante illâ proprietate Dativâ ad aliquam figurationem aut sensûs mutationem alienamq; expositionem, Accusativam, aut aliam: quippe quòd, cùm non ulla absurditas nec ulla necessitas ibi à proprietate depellat; talis spontanea desertio sensûs, olim à Spiritu Sancto significantissimâ authenticorum verborum proprietate expressi, ejusq; interversio, non possit absq; luculentâ nefandæ temeritatis notâ committi, sive Papalis cathedra sive Ecclesia sive quisquam alius tale quid tentare præsumat, contra expressum Spiritus Sancti interdictum universale Deuteronom. 12, 32, Non derogabis quicquam.

31. Porrò in Danielis quoq; versiculo, servatâ ibidem propriâ Dativi vi, sententia nihilominus plana genioq; originalis textûs Chaldaei conveniens, omnibusq; absurditatibus absoluta, evadit in hunc modum: Nebucadnezar $\text{דָּבְרָה לְדָנִיֵּאל}$ *Danieli prostratus oravit precibus Jeosæos conceptis, &c. & respondit & dixit Nebucadnezar, verè Deus vester est Deus Deorum, &c.*

32. Hic quænam, quæso, textûs aut interpretationis absurditas? Quid enim ex ea evinci & obtineri potest aliud, quàm quòd historia recenset, quòd Nebucadnezar, jam tum modò auditâ ex Daniele mirandâ somnij divini narratione & expositione, in admirationem raptus, ac in cognitionem veri DEI quodammodò ductus, fecerit id, quod tempore novi etiam testamenti gentiles in primâ

prima sui conversione in concionibus ecclesie facere solitos memorat Apostolus 1. Cor. 14. 24 & 25, Ubi inquit: Quod si omnes prophetetis, ingrediatur autem incredulus aut idiota, coarguitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, & sic occulta cordis eius manifesta fiunt, atq; ita in faciem procidens adorabit DEVM, propalam confitens, quod Deus revera in vobis sit.

33. Ubi ineptissimus argumentator esses, si exinde velles colligere aut suspicari, gentiles illos, in primitivis ecclesijs coram docentibus procidentes, memoratae adorationis cultum exhibuisse ipsis doctoribus, coram quibus prostrati jacebant. Planè sicut hic etiam nulla prorsus collectionis aut connexionis ratio est, si nunc argumentari velis, cum dicatur Nebucadnezar Danieli prostratus orasse, eum protinus suis illis precibus religiosus ipsum Danielè adorasse.

34. Cum præfertim, quod jam secundi argumenti loco accedit, in Psalmi & Danielis versiculo Hebræo atque Chaldæo ipsorum etiam adjunctorum utrobique Adorandi verborum originalium vis ac natura talem ibi sensum constructionemve Accusativam prorsus non patiatur.

35. In Daniele certè propria Verbi 𐤎𐤍𐤏 potestas ac nativus constantissimus usus non minùs liquidò ostendit factæ istius adorationis objectum, DEVM, quàm si talis limitatio de objecto, ad modum allegati Paulini loci, expressè adjecta fuisset.

36. Exploratum namq; est, neq; cuiquam in evolvendis scripturis Prophetis seria diligentia attento lectori obscurum esse poterit, quod verbum 𐤎𐤍𐤏 prostratus oravit precibus 𐤎𐤍𐤏 conceptis, tam in Hebræa quàm in Chaldæa Lingua usu authentico ita constantissimè adhibeatur designandæ tantùm adorationi cultuiq; solius DEI veri proprio. Uti id infra suo loco sub Litera Samech ad plenum edocebitur & demonstrabitur.

37. Quod si jam ergo huic verbo Adorandi erit hic adaptandus Accusativus Danielè (quod facit Latina vulgata); consequetur, quod Nebucadnezar ipsum Danielè adoravit divino prorsus adorationis cultu. Consequetur deinde etiam, aut Danielè honorem istum non exhorruisse nec à se declinasse, aut certè ipsam scripturam circumstantiam illam, (quæ in describenda historia omnium maximè notatu necessaria fuisset) quod nempe Propheta istum honorem divinum sibi exhibitum exhorruisset, in recensenda historia non connotasse.

Argumentum alterum, ex adjunctorum Adorandi Verborum naturâ ostendens, interpretationem Accusativam in memoratis duobus locis Biblicis non posse subsistere.

38. Quod utrumvis cum sit inconueniens admittere, sicut & id ipsi quoque Pontificii vltro agnoscunt, Danielem nempe à Nebucadnezare diuino adorationis cultu non fuisse honoratum; relinquitur certum & inconcussum, quod vocem $\text{לְרַגְלֵי־אֱלֹהִים}$ in memoratâ historiâ nullo modo liceat accipere in *Accusativo*.

39. Porro nec in alterâ illâ Psalmi Davidicâ gnome vis & natura adjuncti ibi verbi וַיִּתְחַשְׁבֵּן ullo pacto patitur, ut ei Nomen *Subsellium* in *Accusativo* construere queamus. Si enim deberet talis constructio subsistere, oporteret etiam *naturam* hujus adjuncti verbi Hithpaël Hifchthachavu ita esse comparatam, ut *per sese* significet *Adorate*.

40. Atque, id esse necesse, Bellarminus etiam facile subodorabatur. Ideoque supra diligenter præoccupabat, inquiens, verbum hîc *Adorandi* est etiam Hebraicè *proprium verbum Adorationis*.

41. Atqui hujus hypotheseos assertio per se ipsam prorsus ficta & falsa est. Neque enim ullus Scripturæ Hebrææ locus inueniri potest, ex quo evinci queat, id verbum *per sese* & *ex suâ naturâ* significare *Adorare*.

42. Sed contrâ, universæ & singulæ Scripturarum sententiæ, in quibuscunq; id verbi usu venit, clarè ostendunt, quod id referat potissimum naturam originalem sui thematis חָשַׁבְנָה *Incurvari*: adeo ut in Hithpaël *per se* semper & constanter significet, *reverenter incurvare seipsum*: neque ulterius ullam *adorationis* vim suâ naturâ in sese includit.

43. Sicuti completa subjuncta hîc omnium usus Biblici locorum inductio perspicuè attestabitur, nullam ullibi esse causam aut necessitatem, cur in quoquam dicto Biblico vel latum unguem deserere oporteat constantem illam nativam significationem, quam omnium maximè ipsa Radicis quoque & reciproca Conjugationis Hithpaël natura evidenter importat.

44. Usurpatur autem in Biblijs & Radix & Derivata ejus, nec non cognatum similis significati Verbum חָשַׁב & חָשַׁבְנָה , in his tantummodo locis. In Kal Ordinis quinti, Esa. 51, 23, Qui animæ tuæ dicunt, *Incurvare tu*, & transibimus. In Hiphil Ordinis quinti, Proverb. 12, 25, sollicitudo in corde viri *incurvabit* illud, hoc est, ceu incurvando infirmabit & debilitabit illud. Ubi sanè haudquam quidquam congrueret significatio *Adorandi*.

45. In

45. In Hithpaël, Gen. 19, 1, Et adhibita reverentia incurvavit se facie terram versus. Et sic etiam præcedente c. 18, 2. Item sequentibus cap. 22, 5. 23, 5, 12. 24, 26, 47, 52. Et 27, 29, ubi ipsa quoque verbi Latina vulgata, Pontificiis authentica, reddidit, *Incurvatur* ante te. Ut & Gen. 33, 6, *incurvati sunt*. Porro usu venit etiam v. præcedente 3 & sequ. 7. c. 37, 6, 8, 9. 42, 6. 43, 24. 47, 31. 48, 12. 49, 8. Exodi. 4, 31. 11, 8. 12, 27. 18, 7. 20, 5, 24. 24, 1. 32, 8. 33, 10. 34, 8, 14. Levit. 26, 1. Num. 22, 31. 25, 2. Deut. 4, 19. 7, 19. 8, 19. 11, 16. 17, 3. 26, 10. 29, 25. 30, 17. Josuæ 5, 14. 23, 7, 16. Judic. 2, 12, 17, 19. 7, 15. Ruth. 2, 10. Priore Samuelis 1, 3, 19, 28. 2, 36. 15, 24, 29, 30. 20, 40. 24, 9. 25, 23, 41. 28, 15. Posteriore Samuelis 1, 2. 9, 6, 8. 12, 20. 14, 6, 25, 36. 15, 5, 32. 16, 4. 18, 22, 29. 24, 20. Priore Regum 1, 16, 23, 31, 46, 51. 2, 19. 9, 6, 9. 11, 33. 16, 33. 22, 54. Posteriore Regum 2, 16. 4, 37. 5, 18. (ubi etiam extat Nomen *Incurvatio*). cap. 17, 16, 35, 36. 18, 22. 19, 37. 21, 4, 22. Priore paralip. 16, 29. 21, 21. 29, 20. Posteriore paralip. 7, 3, 19, 22. 20, 18. 24, 17. 25, 15. 29, 28, 29, 30. 32, 12. 33, 3. Nehem. 8, 7. 9, 3, 6. Esther 3, 2, 5. Jobi 1, 2. Psal. 5, 8. 22, 28, 30. 29, 2. 45, 12. 66, 4. 72, 11. 81, 10. 86, 9. 95, 6. 96, 9. 97, 7. 99, 5. (de quo hic principaliter agitur) & 9. 106, 19. 132, 7. 138, 2. Esaia 2, 8, 20. 27, 33. 36, 7. 37, 38. 44, 15, 17. 45, 14. 46, 6. 49, 10, 23. 60, 14. 66, 23. Jerem. 1, 17. 7, 2. 8, 2. 13, 10. 16, 11. 22, 9. 25, 6. 26, 2. Ezech. 8, 16. 46, 2, 3, 9. Michæ 5, 13. Zephan. 1, 5. 2, 11. Zachar. 14, 16, 17.

46. In Kal. Ordinis quarti. Psal. 44, 26, Quoniam incurvata est pulvis anima nostra. Et proverb. 2, 18, Quoniam incurvata est in mortem domus eius. Quid quæso his congrueret Adoratio?

47. In Kal. Ordinis primi & sexti. Jobi 9, 13, Sub eo incurvantur auxiliatores insolentes. Et sic etiam constantissime Jobi 22, 29. 38, 40. Psal. 10, 10. 35, 14. 38, 7. 107, 39. Proverb. 14, 19. Esa. 2, 11, 17. 60, 14, ubi Infinitivus gerundialiter aut Nominaliter construitur. Porro Thren. 3, 20, quanquam hoc rectius in Masoreth à $\square\psi$ deductum intelligas. Denique Hab. 3, 6. *Incurvati fuerunt colles seculi*.

48. In Niphal Ordinis sexti. Ecclesiasticis 12, 4, *Incurvabuntur omnes filiae cantici*. Esa. 2, 9 & cap. 5, 15, *Et incurvatus est homo & humiliatus est vir*, cap. 29, 4, *Ex pulvere incurvatus sermo tuus prodibit*.

49. In Hiphil Ordinis sexti. Esa. 25, 12, *munitionem altitudinis murorum tuorum incurvavit*. Esa. 26, 5, *Incurvavit sedentes in excelso*.

C

50. In Hith-

50. In Hithpaël Ordinis sexti. Psal. 42, 6 & 12; Quid incurvas te anima mea? Et v. 7. Super me anima mea incurvat se. Quid jam ad hæc congruit significatio Adorandi?

Major: continens axioma aureum & nuppiam non in indagandâ significationis proprietate observandum.

* Aliud est, cum de versionibus Biblicis queritur: in quibus quidem haud raro licitum est hoc vel alia Verba cum voculâ Adorationis aut aliter permutandi: sed in iis tantum locis, ubi fit, ut in sensu nullum accedat permutationis periculum.

51. Ex his ergo ita concludimus. Allatis duabus disparatis significationibus unius-eiusdemq; Verbi Hebræi, semper solidæ certitudinis causa in constituendâ * Grammaticâ significationis proprietate, eligenda & constanter amplectenda est unica illa significatio, quæ usui Biblico in universis & singulis Radicis & Derivatorum & cognatarum Radicum locis citra ullam absurditatem congruit, & contrâ missa facienda est significatio altera, quæ Radici & derivatis in quibusdam locis Biblicis disconvenit. Nam utiq; remerè, sine maximâ urgente necessitate, neutiquam licitum est, in constituendâ Grammaticâ significationis proprietate, declinare à significatione simplice & undiquaq; congruâ, ad ambiguam non usq; quaq; congruam.

52. Atqui in recitatis exemplis pater, quòd significatio Incurvandi, Ipsi Radici innata, perquam concinne congruat universis & singulis locis Biblicis, in quibuscunq; Radix illa & Derivata & cognata verba extant: Et contrâ, interpretatio Adorandi in multis locis prorsus disconvenit.

53. Inviçte adeò hinc concludimus, quòd eligenda & constanter amplectenda sit significatio Incurvandi, & contrâ significationi Adorandi, quando pro ingenitâ Verbi proprietate venditatur, obeliscus figendus. Neque enim vel Papæ vel Ecclesiæ vel ulli alij concessa est potestas quandam significati proprietatem indendi oculis authenticis Biblicis, sine irrefragabili & solido usus Biblici suffragio.

54. His ita constitutis, cum Verbum id in Hithpaël in Imperativo non per se significet Adorate, sed simpliciter, Reverenter incurvate vos, planum jam est, quòd ipsa verbi constructio & naturalis significatio nullo modo patiatur, ut ei voculam Scabellum in Accusativo construere queamus: nisi velis interpretari, Incurvate vos scabellum, Et mox v. 9, in eadem phrasiologia, Incurvate vos montem sanctum. Quæ interpretatio quàm sit à Prophetæ verbis aliena, ipsis adversarijs judicare licet.

55. Cum ergo ex his constet, nec Verbum ipsum Hischthachavu habere in se significationem Adorandi, neque nomen obri-
nere

nerē vim *Accusativi*; manifestum est, nec interpretationem illam Latinam, quæ habet, *Adorate scabellum*, nec Pontificium inde extractum Argumentum ullius esse teruncij.

56. At inquis forsan: Si maximè ita per *Dativum* reddatur, videtur nihilominus etiamnum phrasis illa importare honorem quendam adorationis religiosæ ipsi templo & sanctuario ipsâ congenulatione exhibendæ. Quin & Bellarminus vult nobis persuadere, etiam si verteretur, *Incurvate vos ad templum*, tamen adhuc idem significari, quod aliàs ille ex Latina vulgata (*Adorate templum aut scabellum pedum Dei*) prolicere conabatur.

Obiectio.

57. Pulchrè sanè. Vel hoc responso meritus es, Cardinalis, tergemina capiti tuo coronam. Sanè, si tu id, quòd nempe in significationis vi æquipolleat, *Incurvate vos ad templum*, ac *Adorate templum*: id, inquam, si tu potes tuis Jesuitis persuadere, profectò minus putari possint habere mentis, quàm dithyrambici poetæ.

58. Quid enim, homo de cardine? desideras nasturcium? In qua unquam Grammatica legisti, duas hasce phrasiologias *Incurvare sese ad aliquid*, & *Adorare aliquid*, significatione inter se æquipollere? Saltem tyrones Jesuitarum vestrorum cum hac quaestione ad te, emoriar, nò te ad sese risu excipient. Vides Cardinalis? quò te rotet impietas & impudens veritati contradicendi obstinatio. Et tamen in hac ipsa responsione tam per se enormiter putidâ subnititur tandem tota isthæc tua palmaria astru-ctio religiosæ adorationis creaturis consecratis exhibendæ. At-que! Adeonè bella sunt illa bellica tua arma? hæcine sunt roborata? hæcine fulcra & cardines? quibus subnixus fertur præcipuus ille Pontificatûs Articulus de cultu ac adoratione religiosa creaturarum consecratarum.

59. Porro, non modò e mentitum est, duabus istis diversis phrasiologijs idem significari; sed etiam impossibile est, alteram istam locutionem ex priore genere per ullam hic consecutionis rationem firmam deducere & colligere.

60. Ad talem enim collectionem: debuerunt sese incurvare sanctuario aut propitiatorio, Ergo adeò debuerunt sese incurvare sanctuario aut propitiatorio in honorem religiosæ adorationis ac subjectionis ipsi sanctuario ac propitiatorio offerendæ: responderi uno

verbo posset, infinites plus esse in conclusione quam fuit in præmissis.

Nervus collectionis inciditur, primò, legitimâ distinctione distingarum quaestionum.

61. Aliud enim est & manet, in laudando & invocando DEO adhibitâ reverentiâ sese incurvare sanctuario aut propitiatorio veteris testamenti, in quo propitiatorio gratiosa sua præsentia præstò tunc esse ipse Jehova condixerat: Et etiam atque etiam aliud est, *ipsum sanctuarium aut propitiatorium cum internâ erga illud voluntatis inclinatione sive prostratione & cum protestatione & subjectionis adorare.*

62. Sic enim Bellarminus potissimas partes adorationis hujus religiosæ, quam hic evincere conatur, definit ipse, quòd nempe sit media quædam sed tamen religiosa *voluntatis inclinatio seu prostratio*, qua creaturis sacro usui dicatis *inclinamur interiùs seu prosternimur & aliquid volumus facere actu interiore vel exteriori, quo protestemur earum excellentiam & nostram subjectionem.* Lib. 1. de cultu sanctorum, cap. 12 & 13.

63. Pura puta superstitio. Nunquam utiq; vel arca vel propitiatorium veteris testamenti excelluit sanctitate vel Samuelem vel Davidem vel quemvis sanctum alium. Ideoq; etiam ad protestationem subjectionis suæ erga sacri propitiatorij excellentiam nunquam se obstrinxerunt.

64. Quinimò nec alius quisquam unquam homo, seu pius seu impius, subiectus debuit esse propitiatorio: siquidem contra & propitiatorium & arcam & totum sanctuarium resq; reliquas creatas terrestres oportuit subiectas manere dominio hominum: juxta primavam ratam ac unam ordinationem Dei, Genes. 1, 28, & etiam cap. 9, 3. Nusquam verò legitur, quod Jehova homines jusserit esse religiosè subiectos ulli mutæ irrationali creaturæ sacris rebus dedicatæ. Superstitiosissime itaque fecissent & falsum protestati fuissent, quicumq; suam subjectionem erga propitiatorij excellentiam ac sanctitatem religiosâ ejus adoratione protestari voluissent.

65. Et tamen tam crudus & malè unctus est Cardinalis, ut non vereatur publicitùs in conspectu Ecclesiæ contendere, hac ipsa adoratione religiosâ hodieq; in novo etiam testamento *imagines Christi sanctorum esse per se & propriè colendas, ita ut ipsæ per se & propriè sint objectum sive terminus istius adorationis, non solùm ut vicem*
gerunt

gerunt exemplaris, sed etiam, ut in sese considerantur. Considera hos
tætidus ejus rhonchos l. b. 2. de cultu sancti. cap. 21.

66. Atq; ut etiam clariùs intelligas, Lector, puras putas sco-
pas dissolutas necti in lepida isthac suprà recitata argumentandi
forma, non nisi Cardinalitio cerebro digna: adverte ulterius,
non unam saltem sed complures & causarum & consequentis falla-
cias in unica ea collectione, pro Jesuitico argumentandi more,
compingi.

67. In tali enim hic collectione: debuerunt sese incurvare
sanctuario aut propitiatorio, Ergo adeò debuerunt ipsum san-
ctuarium aut propitiatorium religiosè adorare cum religiosâ protesta-
tione subjectionis: In tali inquam ex istiusmodi phrasi Hebræa in-
terpretandi & colligendi ratione nullam prorsus inesse consecu-
tionis firmitatem aut necessitatem, id abundè testatum fieri po-
test vel ex ipsa Latina Bibliorum versione vulgata, quæ phrasin
Hebræam penè syllabatim eandem extantem Psal. 132, 7, nihi-
lominùs vertit, Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus: Item mox
hoc in Psalmo 99, v. 9, Adorate יהוה in monte sancto eius.

68. Quòd si iam ista phrasi Hebræa vi sua necessariò infer-
ret, honorem religiosæ adorationis deberi ipsi obiecto, per Dativum
Hebræum designato: non utiq; in illis alteris versiculis licuisset in-
terpreti aut Ecclesiæ aut ulli alij cum imminutione emphaseos
& sententiæ reddere Adorate in loco ubi steterunt pedes ejus, vel, Ado-
rate in monte. Nisi hic etiam Jesuitica sapientia persuasum esse
velit, idem esse, Adorate in monte aut in loco sancto, ac Adorate mon-
tem aut locum sanctum. At nos in nostra Grammatica deprehendi-
mus, longè minùs esse, si dicatur, Adorate in loco aut in monte sacro,
quàm si dicatur, Adorate locum aut montem sacrum, vel, loco mon-
tivè sancto in honorem adorationis & cultûs in ipsum religiosi vosmet
incurvare.

69. Quia ergo in his versibus interpres Latinus absti-
nuit à tali interpretatione Accusativâ designante obiectum adoratio-
nis; utique agnovit ipse, quòd talium Hebræarum phrasium vis
non necessariò adstringat ad eiusmodi sensum & collectionem
ex Dativo illo Hebræo ipsum religiosæ adorationis obiectum evincendi.

C 3

Alio-

2. Necessitas ta-
lis collectionis ex
hac phrasi He-
bræa instituta in-
fringitur porro
ex collatione a-
liorum locorum
vulgatæ Latine
versionis; Ponti-
ficiis aubenticæ.

Alioquin etiam omnium gravissimè ipsa interpretatio Pontificiorum authenticam allegatis locis contra genuini sensus necessitatem peccasset.

3.
Ex instantiâ plurium locorum
Biblicorum ejusdem ex hoc ipso
Verbo pbrasiologie.

70. Præterea, si quis ulteriùs morosius instet, Dativam præfixum vè ל in hac phrasi Hebræâ importare *objectum*, ad quod religiosa adoratio intendatur: ejus collectionis infirmitatem porrò evidenter infringere possit vel unica unius subjuncti exempli instantia, si vel omnes aliæ abessent,

71. Nam etiam Psal. 106. v. 19. eadem usurpatur phrasis de Israëlitis, וַיִּשְׁתַּחֲוּוּ לְמַסַּכָּה & incurvaverunt sese conflatili. Si jam talis Dativus talis phraseos *necessariò* importat *objectum*, ad quod religiosa adoratio intendatur; oportet hic quoque dicatur, quòd Israëlitæ in deserto intenderint adorare ipsam imaginem fusilem seu conflatilem. Id quod longè falsissimè existimari, in hunc modum deprehendemus.

72. Si enim Israëlitæ intenderunt adorare religiosè ipsum fusile simulachrum vituli; aut intenderunt id afficere medi j saltem generis cultu, aut honore etiam prorsus divino. (Tertium hic non dabis). Cæterùm, neutrum illud potest subsistere.

73. Nam quoad prius, certum est, quòd Israëlitis illis præsertim plebeculæ, prorsus non fuerit cognita commenticia illa discretio superioris & inferioris cultûs religiosi, seu mediæ inter civilem & divinam adorationis religiosæ. Et quî ergo fieri potuisset, ut intendissent mediâ solummodò eâ adorationis specie afficere erectum conflatile aureum?

74. Deinde, non etiam intenderunt illam ipsam fusam imaginem divino cultûs honore adorare. Nam ad tale quid cumprimis requiritur, ut id, quòd divino honore adorare intendimus, apprehendamus & habeamus pro ipso vero Deo & summo bono: uti ipse Bellarminus in definitione divini cultûs requirit, lib. 1, de cultu, cap. 12. Jam verò constat, quòd Israëlitæ, præsertim Aaron & reliqui in populo prudentiores, nequaquam ita stupidi fuerint, ut ipsum aureum conflatum simulachrum putarent esse æternum verum Deum.

75. Ac ut ponam, verum esse id, quòd Bellarminus lib. 2. de cultu cap. 13. scribit, Israëlitæ putavisse, ipsum summum Deum esse vitulum seu Apim Aegyptiorum, cujus imago illud conflatile debuisset esse: quinimò, ponam etiam, verum esse id, quòd ibide n asserit,

serit, Israelitas credidisse, *in ipso fuso illo idolo divinam vim inesse*; itaque, ex confessione Bellarmini, Israelitæ adhuc animo discernabant sui summi Dei essentiam ab ipso idolo fuso, Dei illius simulachro. Non igitur ipsum conflatile aureum tanquam suum summum Deum apprehendebant, adeoq; multò minùs id divino cultu adorare *intendebant*, sed unicè *intendebant* summum Deum, in signo conflatis aurei, adorationis divinæ honore afficere.

76. Quòd enim à Jehovâ accusantur Israelitæ *sacrificasse ipsi vitulo*: & quòd etiam B. Lutheri versio veritatem historię, non verbum ex verbo, exprimens hic habet, *coluisse ipsos simulachrum conflatum*: loquuntur ea verba *non de objecto intentionis, sed de objecto facti*: quòd nempe factum ipsum, dum apud electitium simulachrum sine mandato divino invocabant Deum, coram divini iudicij censurâ nihil aliud reputabatur & reipsâ etiam nihil aliud erat, quàm adoratio fusæ imaginis, tametsi hoc Israelitæ animo suo *non intendebant*; uti modò demonstratum.

77. Cum ergo ex memoratis constet, quòd Israelitæ nec inferioris nec superioris generis religioso cultu conflatile *adorare cogitarint*; manifestè relucet ex hoc loco, quòd Dativus vel præfixio ך in huiusmodi phrasi Hebræâ non protinùs importet *necessariò ipsum objectum, ad quod adoratio ab adorante intendatur*.

78. Nihil ergo ex tali phrasi Dativâ Pontificij pro se effecerint: nisi jam fortè absurdum in modum existimare velint, in Psalmo etiam 99. in verbis Davidicis Hebræis præcipi adorationem scabelli peragendam *sine omni ipsius adoratoris intentione ad illud objectum*. Nam talem *intentionem* certè phrasis illa nequiquam necessario evincit. De qua tamen *intentione* objecti omnium maxime nobis hic est quæsitum, utrùm illa debeat adorationis cultum exhibere ipsi propitiatorio: Sed quam fortiter illam ex tali phrasi Hebræâ collectio Jesuitica evincat, id nimirum vel ex unico hoc exemplo Psalmi 106. luculenter videre fuit.

79. Sed insuper aliud adhuc testimonium in promptu est & illustrius, ex Ezech. 8, 16, ubi dicitur. Et ij, versus orientem incurvaverunt se ׀ׁׂ׃ *ipsi Soli*. Ubi ex eadem iterum Radice extat Participiale Verbum ׀ׁׂ׃ׁׂ׃.

80. Jam, si verum est, Dativum præfixumq; ך in tali huius Verbi

Verbi phrasi *necessariò inferre ipsum objectum*, ad quod adoratio inten-
datur; oportebit utiq; hoc etiam loco accipere quòd seniores illi
Judæi intenderint religiosè adorare ipsum solem: Id quod verò
& ipsi Judæi illi jugiter reclamabant, neq; etiam reipsâ *intentionis*
talis hic accusantur: sed ideò hic contumaciæ & rebellionis ido-
latriæ redarguuntur, quòd in templo propriâ electitiâ inten-
tione sine præcepto divino *versus solem in ortu constitutum* incurvati
Deum verum invocare voluerint, cum alioquin ex sanctione di-
vinâ tenerentur tunc sub V. T. in invocatione Dei sese in templo
convertere *versus occasum ad situm propitiatorij*.

81. Quid? quòd in hoc etiam Ezechielis loco versio Ponti-
ficiorum authentica non habet *Adorabant solem*, sed, *Adorabant ad
ortum solis*. Nisi ergo adversarij velint statuere, in versione illa
sua imminutum esse *necessarium* sensum verborum Prophetæ, o-
portet concedant, *Dativum Hebræum & præfixionem* 7 in hujus
Verbi phrasi *non inferre necessariò ipsum objectum adorationis ab adora-
tore intentum*.

4. Ex instantiâ
aliorum locorum
Biblicorum, in
quibus talis non
quidem ex hac
ipsa Radice sed
ex affinibus Ver-
bis phrasologia
extat.

82. Porrò infrà quòque sub Radice 710 plura cernentur si-
milis verbi & phrasilogiæ exempla Biblica ex Esa. 44. 17, &
Dan. 3, 5, in quibus deprehendemus, *ipsorum circumjectorum Ver-
borum irrefragabilem naturam* nullo ibi pacto pati, ut talis Dativus
accipiatur de *objecto in quod adoratio religiosa intenditur*, sed de obje-
cto solù *externæ incurvationis*, adversum: quod hæc fuerit directa.

83. Necesse est tamen vel unicum saltem similis phrasio-
logiæ ex alio etiam verbo aliunde huc fusiùs adducere exemplum,
præsenti instituto cum primis congruum, ex 2. Chron. 6, 38. ubi
textûs Hebræi structura in hunc modum habet, *וְהָתַפְּלִיחוּ לְבַיִת*
Et adorabunt *domui huic* (hoc est, *versus domum hanc*) quam ædi-
ficavi nomini tuo.

84. Si jam quicquam ponderis haberet consequentia & o-
pinionis istius firmitas, *talem nempe Dativum Hebræum ostendere &
importare applicationem honoris adorationis ad objectum proprium præfi-
xo 7 insignitum*, oporteret sanè his etiam præsentis loci verbis si-
gnificari, Israelitas debuissè *ipsam domum hoc* (de quo hic sermo
est) adorationis genere profèqui.

85. Quæ tamen expositio quòd ab hoc certè textu sit aliena,
commonstrat hic evidenter tota *coherencia*, & ipsa etiam versio
vulgata,

vulgata, Pontificiorum authentica, & præsertim convincit natura Hebraei Verbi hîc adhibiti **התפלל**, quippe quod verbum Hithpaël sane à perpetuo & unico suo significato *cultûs unice divini*, quem alioquin in universis suis locis Biblicis designat, sine ulla urgente necessitatis causâ neutiquam licitum est detorquere ad significatum aliud, *adorationis nempe medij generis*.

86. Id enim exploratissimum est, neq; cuiquam in evoluen-
dis scripturis Prophetis originalibus seria diligentia attento le-
ctori obscurum esse poterit, verbum hoc Hithpaël & inde dedu-
ctum nomen **התפלל** in universis suis locis Biblicis, in quibus-
cunque adhibentur, *constanter* usurpari designando *unice sublimi*
illi generi adorationis, divinæ majestati solum debito.

87. Id quod liquidissimè patefcet ex subjunctorum hîc al-
legatorum inductione, in quibus verbum hoc Hithpaël **התפלל**
& inde derivatum nomen **התפלל** *semper & constanter* usurpantur de
oratione precibus **תפלה** factâ: præter quæ loca alibi usu authen-
tico vocula illæ Hebrææ *nussiam* veniunt. Ut: Genes. 20,7 & 17.
Num. 11,2. 21,8. Deuter. 9,21 & 27. Priore Samuelis 1,10,12,26,27.
2,1,25. 7,5. 8,6. 12,19,23. Posteriore Samuelis 7,23. Priore Regum
8,28,29,30,33,35,38,42,44,45,48. 49,54. 9,3. 13,6. Posteriore Re-
gum 4,33. 6,17,18. 19,4,15,20. 20,2,5. Priore paralip. 17,25. Poste-
riore paralip. 6,19,20,26,29. 32,34,35,38 (de quo principaliter hîc
agitur), 39,40. 7,1. 12,14,15. 30,18,27. 32,20,24. 33,13,18,19. Ezrae
10,1. Nehem. 1,4,6,11. 2,4. 4,9. 11,17. Iobi 16,17. 42,9,11. Psal. 4. 2.
5,3. 6,10. 17,1. 32,6. 35,13. 39,13. 42,9. 54,4. 55,2. 61,2. 65,3. 66,19,20.
69,14. 72,15,20. 80,5. 84,9. 86,1,6. 88,3,14. 90,1. 102,2,18. 109,4.
7. 141,2,5. 142,1. 143,1. Proverb. 15,8,29. 28,9. Esa. 1,15. 16,12. 37,
4,14,21. 38,2. 5. 44,17. 45,14,20. 56,7. Jerem. 7,18. 11,14. 14,11. 29,
6,11. 32,16. 37,3. 42,2,4,20. Thren. 3,3,15. Dan. 9,3,4,17,21,22. Iona
2,2,8. 4,2. Habac. 2,21.

88. Cùm ergo in illis omnibus Scripturæ sententijs, in quibus-
cunq; Verbum quartæ Conjugationis **התפלל** extat, *perpetuo &*
constanter significet *precibus תפלה* adorare, uti cuique loca in hac
plenariâ inductione allegata expendenti ad oculum liquet; utiq;
haudquaquam licitum est, sine omni necessitatis causa in hoc de-
mum præsentem loco id detorquere ad significatum aliud, nempe ad

D

medium

medium adorationis genus religiosè ipsi domui exhibendum: quippe cum nulla prorsus absurditas hic à constanti Verbi proprietatis usu necessariò nos deiciat.

89. Proinde, nisi adversarij absurdissimum in modum statuere & fateri velint, Israelitas debuisse ipsam domum seu templum ipsis *Deorum* precibus adorare; sufficienter omninò ex hoc unico exemplo relucere potest consequentiæ nullitas, cum quis in hujusmodi phrasium Hebræarum structuris ex voculis Dativis prefixo & prænотatis ipsum honoris adorationis objectum proprium necessariò extrui oportere contendit.

Instanti à ab alio absurdo.

90. Et quid hoc loco plura operosius à longinquo conquiramus talia exempla? paulò impensius saltem consideremus hic Versiculum ultimum hujus ipsius Psalmi 99 cum eadem phrasi, *Incurvate vosmet monti sancto ejus.* Si jam Pontificiæ sequelæ nexus debet habere locum, oportet hic quoque statuatur, Israelitas debuisse montem sanctum religiosè adorare cum agnitione excellentiæ & cum religiosâ protestatione subjectionis.

91. Sed procul dubio Papistæ autumant, nec hoc ipsum absurdè factum esse, quippe cum mons ille fuerit sacer ac sedes ac habitaculum Dei. Sicut sanè suprâ Bellarminus intendebat.

Esa. 46, 10.

92. Atqui si mons & alia ex hac causâ, quia fuerint sedes ac habitaculum Dei, idcirco protinus ita sancta fuerunt, ut oportuerit montem illum & similia Dei habitacula religiosè adorare: sequitur, omninò totum quoq; orbem terræ & cælum stellatum, quippe quæ non minùs verè sunt sedes & scabellum Dei, esse exinde ita sacra, ut ipsis cælis quoq; & stellis & ipsi telluri in signum religiosæ subjectionis & adorationis oporteat genu flectere & caput nudare, adeoque hoc sensu illa omnia religiosè debere adorari. Nullam sanè huc quadrantem diversitatis rationem Jesuitici fraterculi poterunt dare.

93. Subducant verò ij jam rationem, quantum absint à crassâ illâ damnatâ Ethnicâ superstitione adorationis, olim Soli, Lunæ, firmamento cælorum, & Telluri & aliis creaturis exhibitæ.

94. Nec enim solùm eam ob causam cultus ille astrorum ethnicus fuit damnatus, quia fuerit *divinus*, per sacrificia & alia exhibitus (sicuti Jesuitæ in hac causâ hoc fermè unico effugio rancido uti consueverunt): sed etiam gravissimè fuerunt, condem-

nati

nati quicumque ea non quidem ceu Deos invocare cogitarunt sed ad preces summo DEO peragendas sese *ὡς ἐν Ἰεροσολυμοῖς* ad solem in ortu aut alia astra aliave electitia loca convertere maluerunt.

2. Regum. 17, 16.
Ezech. 8, 16.

95. Et quanto magis ergo superstitiosum & impium erit, cum quis etiamnum hodie sub luce Evangelicâ N. T. destitutus omni mandato Dei velit vel erga astra cœli vel erga montem Zion vel erga sanctorum reliquias religiosum genuflexionibus & capitis nudationibus cultum exhibere, eaque cum religiosâ subjectionis protestatione adorare, precumque exauditionem magis ad illa loca quàm ad alia, sine omni divinâ promissione, defigere?

96. Siste jam hinc paulisper pedem, Lector, & considera mecum, quàm ignaros oporteat fuisse patres illos 350, unâ cum Papa Adriano I. & ejus legatis, qui circa annum Christi 780. in synodo Nicena 2, Acti. 2, ex hoc Psalmo 99. pro religiosâ adoratione imaginum argumentati, tam scœdas cruditates ex illius argumenti mephiti exhalantes non animadverterunt.

97. Relucet hinc, parùm ibi adfuisse Charitum, nedum Spiritum sanctum Actioni isti secundæ præsedisse. Nimis credibile est, nec Papam Adrianum nec ejus legatos, Petrum Archiprosbyterum ac Petrum Abbatem sancti Sabæ, nec reliquos 350 Episcopos vel inspicere vel excutere ullo modo novisse vel Grammaticam resolutionem hujus Versiculi Davidici in fontibus authenticis, in quo tamen tanti momenti Articulum, sub universali anathematis pœnâ injungendum, decernere sunt conati. O patres ignorantia!

98. O quàm nimias tunc pœnas dedit neglectio illa vel Grammaticæ primigeniorum Biblicorum textuum resolutionis! pœnas (inquam) cum æterna innumerorum hominum salutis jactura conjunctas! Corporibus suis Patres illi (si fieri potuisset) redimere debuissent vel minimam cognitionem Grammaticam Hebræorum & Chaldæorum authenticorum fontium, cujus adminiculo (Deo ductore) & suarum & innumerabilium aliarum animarum exitium maturè averruncare quivissent.

99. Et quantum ergo judicij severi ac pœnarum cumulum sibi coacervabunt? quicumque hodieque tales solidas Gramma-

ticas Hebræorum & Chaldæorum authenticorum fontium excursions, ad Biblicorum textuum medullam intemeratè eruendam & ad fidei Articulos fundamentaliter solidandos apprimè necessarias, cum per se turpiter neglexerint, in alijs quoq; despectas & tantum non ridendis prostituere conantur, multò minus eas in scholis Christianis, quorù vel maximè ante omnia intererat, pro luculenta sua necessitate luculenter vigere & florere faciunt.

100. Næ, metuendum, ne hac ratione Iehova detestandam mundi ingratitude, negligentiam, & primariorum studiorum contemptum, tenebricosam iterum extremam ignorantiam & barbariei offusione, sicut superioribus annis factum, sit vindicaturus, quam, quoad hoc certè studij genus, apud plerosq; dudum hodiè profundas radices egisse videmus.

6. Ex hypothesi
Bellarmini confessã.

101. Porro ad ineptam memoratam Iesuiticam collectionis stoliditatem probè retundendam, ulteriùs adverti velim, ipsam Bellarminum lib. 1. de cultu cap. 12. non dissimulare, disparata omninò esse inter se, *incurvationem & adorationem*. Dicit enim aperte, quòd *actus iste exterior, quo caput inclinatur vel genuflectitur, sepe possit esse sine adoratione*. Si ergo unum absq; altero esse potest, sunt itaq; disparata. Si sunt inter sese disparata, sequitur, meras scopas dissolutas confarcinare & araneorù telas texere argumentatorè, qui ex objecto unius disparati (nempe ex *incurvationis* objecto, versùs quòd illa debuit dirigi) protinus vult necessariò evincere idem esse etiam objectum alterius disparati, nempe ipsius *adorationis religiose*.

7. Ex causarum
discretionè.

102. Et sanè, si mandata incurvationis istius versùs montem aut propitiatorium frequentandæ, prorsus nulla alia causa posset reddi, quàm quòd ea debuerit *in signum adorationis, monti & sanctuario prestita*, institui; haberet forsan hoc pacto Bellarmiana argumentatio, quod concluderet. Atqui verò contrà in promptu jam est, posse multò alias causas illius institutæ incurvationis reddi, ut non necessariò protinus ad Pontificiam fictitiam adigamur: quarum aliquas operæ precium erit hic attingere, levi tamen brachio, quantum præsentì instituto necesse est.

Deut. 12, 5, &
sequ. Exodi 25,
22.

103. Inter eos enim vel maximè dominium obtinet hæc: voluit Deus gratiosæ præsentia suæ exhibitionem in V.T. alligatam ad certum locum, videlicet ad propitiatorium, typum futuri, ut po-

ut populus non hinc inde varijs cultuum electiis circumstantiis pro humani arbitrij lubitu vagaretur, adeoq; hoc pacto obædientiam ipsorum exercere. Cum itaq; oportebat ipsos inter orandum sese incurvare Deo *habitanti super propitiatorio*, fieri non poterat, quin sese tunc incurvarent arcæ propitiatorii, *honorem adorationis exhibendo non arcæ sed Deo.*

104. Non quòd (uti id obiter moneam) nos quoq; hodiè in novo testamento, ad hunc vel illum sacrum locum inter precandum conversi, magis ibi exaudiamur quàm alibi: id enim disertè refellit Salvator Iohan 4. sed potiùs contrà, quia propitiatorium V. T. erat typus veri ac unici nostri *ἰλασηίς*, Christi, ad id ergo universas preces nostras, sine ullo definito respectu loci, convertere unice tenemur. 1. Tim. 2, 8. Hebr. 4, 16.

105. Aliud ergo fuit, *sese incurvare propitiatorio aureo*; quòd possent Deo super propitiatorio confidenti genuflexi cultum adorationis divinũ prestare: Et aliud item fuerit, incurvare sese propitiatorio aureo in signum cultus & subjectionis ipsi illi propitiatorio religiosè oblata: quæ appendix quia (uti vidimus) neq; quoad sensum neque quoad ullam consecutionem ex textu authentico elici quivit, nihil superesse cernitur, quam Iesuitam, qui id ipsum quod probandum erat, ceu probatum assumit, turpi principij petiti *ἀδολεγία* more suo ludere.

106. Deinde, altera causa incurvationis, monti sancto & propitiatorio factæ, est ea, quòd necesse erat res Deo consecratas *cum debitâ animi reverentiâ* (non cum earum adoratione) tractare. Neque enim tam crudos existiment Lutheranos impuri Iesuituli, quasi negemus, res creatas, sacris usibus dicatas, in sanctuario aut in cætu ecclesiæ esse *cum impensâ animi & gestuum reverentiâ* tractandas, idq; maximè ob gratiosam assistentiam Dei & præsentiam sanctorum angelorum, 1. Cor. 11, 10.

107. At longè aliter, Bellarmine, sonat phrasis, cum quaeritur, utrùm protinus per hoc arca aut mons Zion aut aliæ creaturæ, sacris usibus destinatæ, *sint cum religiosâ protestatione subjectionis adorandæ?*

108. Ut ne longius hic exaggerem, quot mille milliariibus isthæc tua recitata argumentatio adhuc absit à confirmatione

¶ Non attingit principalem scopum.

a Bellarm. de
cultu sanct. lib.

2, cap. 4.

b lib. 1, cap. 12.

c Cap. 13.

d lib. 2, cap. 3.

e Ibidem.

f Cap. 12.

g Cap. 30.

h Ibidem.

i Cap. 21.

In qua Lingua
imagines defun-
ctorum sanctorum
significant sca-
bellum pedum
Dei?

principalis scopi tui, nimirum hodiernae vestrae praxeos & religiosae creaturarum adorationis Papisticae; cuius unius statuminandae causam tu haec omnia praelulisti: propterea nempe hodieque; sub luce Evangelicae novi quoque testamenti, debere ossa, cineres, tumulos^a, vestes, cruces, flagella, & alias reliquias & imagines sanctorum defunctorum, cum voluntatis erga ipsas prostratione & protestatione subiectionis religiosè adorari: ^b iisdem reliquiis & sacrae cruci & aliis sanctorum imaginibus ^c odores suaves, ^d cereos, candelabra & lucernas perpetuò ardentes esse offerendas, ita ut valeant esse argumentum talis religiosi cultus^e: sacras imagines ^f prostratione ad terram esse honorandas, lignum crucis flexis genibus esse adorandum: Item & omnia praesepia, spineta, lanceas, virgas, columnas, spongas, si modò isthaec pingantur aut sculpantur ad representandam nativitatem aut passionem Christi aut sanctorum, esse similiter religiosè adoranda: ^h cruces certè in universum omnes (sine ulla exceptione) debere illo religiosi cultus genere adorari: adeoque; hodie *imagines demortuorum sanctorum*ⁱ per se & propriè esse objectum sive terminum istius adorationis, non solum ut vicem gerunt exemplaris, sed etiam, ut in sese considerantur. In talem enim modum praecipuas istius vestrae religiosae adorationis partes & hodie ipsa praxis apud vos, & tu quoque; in tuis scriptis aperte ita describis.

109. Haec haec proinde erat principalis quaestio, haec Rhodus, hic saltus, hie te virum praestare debebas Bellarmine, talem omninò adorationis speciem debebas tu ex Scripturis probare, si ea vel speciem saltem debuissent habere deploratae vestrae idololatriae patrociniandi.

110. At verò quàm egregiè ex allegatis Psalmi & Danielis locis id praestiteris, & quàm bellis id consequentiuncularum tuarum succenturiatis manipulis exinde obtinueris, hoc est, quàm tu fortiter ex pumice aquam postulaveris: illud nimirum luculenter haec tenus videre fuit, postquam rancidae isti vestrae sophisticationi non nisi meris inscitis & fuliginosis obsoletae vestrae versionis erroribus infuscatae atrata larva detracta, fucusque; eius ex incorrupto fontium authenticorum liquore purè absterfus ac dilutus totus tibi sub manibus in spongiam abiit.

III. Cate-

III. Cæterum velim jam ex his etiam ulterius Lectorem subducere rationem, quam temerario ausu quamq; immani furore ferantur Pontifices, Cardinales, Episcopi, & totius oleati clericatus Papalis proceres, qui concilio publico ac decretis sanciant, Bullis confirmant, scriptis & disputationibus acerrimè contendunt, debere, sub anathematis fulmine ac pœnâ violatæ Apostolicæ autoritatis, versionem istam perversissimam vulgatam Latinam, & in his allegatis duabus sententiis & in alijs, Christianis omnibus *per omnia* ratam, inviolatam, irreprehensibilem, sanctam, authenticam ac planè divinam censi & acceptari: ad eòq; pro originali & authentico textu Biblico oraculorum divinorum in his & similibus innumeris interpretamentis amplecti cogunt istam obsoletam Latini interpretis imperitam & plusquam erroniam versionem.

112. Hoc nimirum pacto verificant oraculorum divinorum certitudinem de Antichristi notis prædictorum, ipsum videlicet sese elaturum esse super omnem Deum.

113. Nam quæso te, Bellarmine, cum personatus iste Antichristus, quem tu speras, venturus est, num *expressis verbis palam nominabit se Deum Deorum?* num *expressis verbis palam docebit, se pro Deo vero coli debere?* uti tu quidem verba Apostoli Pauli, Chrysostomi, & Ambrosij, puerili insulitate accipis: Quæ enim fieri queat, ut hac ratione tunc crediturus aut astipulaturus sit ullus Antichristo, si *propalam expressis verbis in templo Dei sit professurus de se, sese solum esse Deum, seseq; extolli debere super omnem Deum?* uti tu iterum insulse nugaris. Sed, cum speratus iste tuus Antichristus venturus est, nunquid, quæso te per conscientiam tuam, atrocius aut blasphemius super aut contra Deum sese elevando commissurus sit? quam si expressis edictis ac sub anathematis pœnâ publicè in ecclesiâ præcipiat, sacrarum Scripturarum Hebræarum & Chaldæarum interpretationes tam apertè falsas alienasq; deberi acceptari pro authenticis oraculis divinis, neque debere illas ullo pacto ex originalibus scriptis Prophetarum & Apostolorum corrigi aut emendari.

114. Atqui jam hoc ipsum ad unguem vos hodiè in Papatu reipsâ sine pudore præcipitis: dum publicâ Concilij autoritate mandatis; neque memoratas duorum illorum locorum interpreta-

Povisna alterū, continens éλεγχοι decreti Papistici de autoritate inviolabili vulgatæ versionis.

Psal. 99. & Dan. 2.

2. Thess. 2.

lib. 3. de Rom. Pontifice, c. 14.

Ibidem, superius.

Forma ex his propositionem majorem.

Assume jam.

pretationes vulgatas Latinas vestras, quas nunc vel tyro palpabiliter falsas deprehendere possit; neq; similia alia veteris Latini interpretis interpretamenta, licere ullo prætextu ex æterni ac vivi DEI originalibus oraculis corrigere: imò debere infallibiles Articulos fidei de cultu sanctorum, imaginum, reliquiarum, & alia, ex istis imperitis interpretamentis astrui, & sic astruētos sub æterno salutis periculo acceptari.

115. Ex hoc jam palpabiliter & infallibiliter concluditur, vos aut repræsentare ipsam personam famosi illius Antichristi, aut certè tergemina ejus esse mancipia.

De præfixione inseparatâ particulæ ם.

116. Præfixum ם nascitur ex Præpositione ם. Quæ quidem ante Pronomina affixa prænectitur instar Nominis ordinis sexti, ut: מִי מִהָיִן & c. At ante Nomina & Participia licitum est eam præmittere etiam brevius, saltem per syllabam inseparatè præfixam ם, cum subnectendo Dages forti, in quandam compensationem Literæ Nun in præfigendo resecat. Ut Ezræ 5, 11, מִן קָרַמְתָּ pro מִקְרַמְתָּ.

117. Quoad significationem, valet tam apud Hebræos quàm apud Chaldæos Præpositionem ם & quasi ם medio. Uti sufficenter constat ex exemplis Hebræis, Dan. 1, 3, 5, 6, 8, 12, 19, 20. Et Chaldæis, Dan. 2, 5, 6, 8, 15, 16, 18, 20, 23, 25, 33, 35, 41, 42, 45, 47 & 49. Licet tamen etiã sæpe vertere per Præpositionem Præ, sed tum demum, ubi in sermone instituitur comparatio duarum vel plurium rerum, Ut: מִן אֲנָשִׁיךָ מִן אֲנָשִׁיךָ pulcher ex hominibus illis seu è medio ac numero hominum illorum, seu pulcher præ hominibus illis, hoc est, pulchrior hominibus illis, seu, pulcherrimus hominum illorum. Hoc enim modo solet phrasiologia Hebræa & Chaldæa efferre vim comparationis & superlationis. Ut: Dan. 1, 10, 15. 2, 30. Qualem verò usum habeat ante Verborum Infinitivos, non necesse est hic recensere, cùm ejusmodi exempla in Hagiographis Chal-

Chaldæis non habeamus. Porro cum 7 præfixo 7⁷ exponere-
tur usq; ex.

118. Facile ex usibus Præpositionis hujus recitatis judicium fieri potest de redditionibus reliquis, *A, De, Cum, Pro, Propter, Post, In, Ad, Iuxta, Ante, &c.* quas partim in Institutionibus Pagnini lib. 1. cap. 15, & lib. 4. cap. 1. partim etiam apud alios videmus tribui huic dictioni. Nam in illis demum Scripturæ locis admittimus illas interpretationes, ubi sensus summam, quem alioqui proprietates Præpositionis *E* exhibuisset, non mutant. Contrà autem eum ubi mutant, ibi 7⁷ *De* vel *A* vel *Cum* &c. valere aut reddi sic debere minimè concedendum est.

119. At verò cum, harum limitationum metis variandi libidini expressè non circumscriptis, promiscuè docetur, 7⁷ significare *Ad, Iuxta, A, Ab, Ex, De, Cum, In, Pro, Propter, Ante, Post, &c.* promissimum tunc est adversarijs veritatis, & alijs minùs exercitatis, promiscueprehendere & accommodare textibus Biblicis, prout libitum fuerit, modò hanc modò illam significationem, etiam ubi interdum sensus proprietatis *E* non modò non retinetur sed prorsus intervertitur, aut etiam ubi nulla necessitas à propriâ expositione recedere cogit. Quod quàm fiat cum veritatis & expositionum genuinarum detrimento, planum fieri poterit unico exemplo.

120. Ut Psalmo 68, v. 23, textus Hebræus habet, 7⁷ ממצלות תימ, dixit Dominus, ex Basan convertam, *convertam ex profunditatibus maris*: ubi Latina vulgata contrarium reddit, dixit Dominus ex Basan: convertam, *convertam in profundum maris*.

121. Hic ut R. Bellarminus & vulgatam Latinam ab errore, & decretum Tridentinum à furoris notâ vindicet, scribit: *primùm, posse rectè ex Hebræo verti, in profundum, idq; testari Rabbi Davidem, qui asserat, interdum 7⁷ pro 7⁷ usurpari, ut Deuter. 33, 2, 7⁷ מסיני in Sinai. Deinde varia (pergit Bellarminus) sunt lectiones tam in Græcis, quàm in Latinis codicibus; cum alij legant, In profundum, alij, In profundis. Quæ lectio posterior, & verior esse videtur, & cum Hebræicâ voce satis coheret. Nam quid aliud est, Convertam in profundum maris, quàm, eos etiam, qui sunt in profundis maris, extraham & convertam? Hactenus verba Bellarmini.*

122. Sed respondeo: forsan Reverendus Cardinalis, tunc

E

lauti

Rob. Bellarminus lib. 2. de verbo Dei, cap. 13.

lauticijs probè oppletus in suavem soporem ac prope in profunda-
dam veternum de vergebat, cum hæc scriberet. Ut sanè hæc sua
explicatione Jesuita apud suos quidem ignorantia fraterculos
magnam suæ peritiæ Hebrææ admirationem sibi concitaverit,
nobis certè apprimè fertilem ridendi materiam eâ peperit, si mo-
dò risus in retam seriâ dignè conveniat. Quæso te Cardinalis,
annon pudet te tam propudiosas nænias publicè in conspectu to-
tius orbis Christiani scribere? Næ, confirmo tibi, prodigis pro-
fectò, Bellarmine, hujusmodi resolutionibus universam & tuam
& Papæ vestri auctoritatem. Et tamen non uno hoc alystato, sed
similibus putidissimis insulsiatibus scater totus tuus liber pro
asserenda vulgatæ Latinæ versionis auctoritate scriptus.

123. Quid enim? an tu, ex, vestrorum oleatorum idolorum
& rudium sacrificulorum ingenio metiens alios, putas homines
in Germaniâ nasci anseres & anates, qui hunc stoliditatem tua-
rum stuporem non advertant? Cui tu hominum persuadebis, *nihil
aliud esse. Convertam in profundum maris, quam eos, qui sunt in pro-
fundis maris, extraham & convertam?* Quid ad hæc tua Jesuitæ tui?
quid eorum tyrones? Si sane istam phrasium earum æquipollen-
tiam potes tu persuadere tuis Jesuitis, ego utique meritò eos
cerebro plùs quàm fungum exhaustos existimem.

*Verba Cardinalis
Bellarmini in
dedicatoria dispu-
tationum, & lib.
3. de verbo Dei
cap. 5, & lib. 4.
de Pontif. cap. 5,
& in append. d.
cultu imag. ca. 3.*

124. Et quid verò etiam ad hæc tam crudas insulsiates tuas
Papa tuus? quem tu *summum Theologum & unicum controversiarum
omnium arbitrum, totius mundi judicem, pastorem omnium ovium Christi,
& summam doctorem universorum, præcepta de ijs, quæ per se bona aut
mala sunt, infallibilia ex cathedrâ pronunciantem, fortiter proclamabas.*

125. Qui iudex universalis vester, si modò intra proximos a-
liquot centum annos Papa Romanus quispiam characteres prima-
que rudimenta Hebrææ Scripturæ Biblicæ novit, de quo ego
valde dubito, si inquam, Papa eos novit, & simul hanc præsentis
versiculi expositionem & defensionem tuam legit, suo tibi addi-
to suffragio & applausu: quis tam inepti iudicis iudicium us-
quam alibi in alijs gravioribus negocijs possit vel pili facere?

126. Et quid ergo porrò de talium quamplurimorum Papa-
sinorum scrinio statui debeat? de quibus certum est, quòd quan-
tumvis scirent & in conscientia suâ & coram toto orbe Christia-
no convicti essent, seipsos originalium Hebræorum & Chal-
dæorum

dzorum oraculorum divinorum esse omnium rudissimos, ut ne per sese unius quidem authentici verbi Biblici Hebræi aut Chaldæi notationem Etymologicam aut genuinam & constantem ejus proprietatem & significationem fundamentaliter sciverint; nihilominus impudenti audacia ausi sint, & etiamnum audent de Biblicis Hebræis & Chaldæis authenticis scriptis (quæ ipsis prorsus nunquam lecta, nedum intellecta) censuram facere & Rhadamanteum decretum immutabile omnibus Christianis sub anathematis fulmine observandum injungere, ut nempe & in hoc Psalmi loco & quàm plurimis similibus alijs, in quibus nativi authentici textus Hebræi sententia in contrarium prorsus est in vulgata Latina subversa, nihilominus ibi etiam illa ipsa interpretatio Latina acceptetur & habeatur pro authentica, neq; ullo pacto licere eam ex fontibus Hebræis corrigere: ut suprâ etiam vidimas. Quinimò, quod jam omnem impietatem superat, in tali casu Hebræam Scripturam Biblicam esse ex Latina vulgata interpretatione corrigendam ad ejusque præscriptum unice conformandam.

127. Ita enim primipilaris Pontificij regni scriptor, Gregorius de Valentia, sæpius allegatum decretum istud Synodi Tridentinæ aperto fronte exponit & defendit, inquit: Ex dictis intelligitur, nullo modo autores illos audiendos esse, qui adhuc post Concilium Tridentinum con tinent, posse etiam nunc editionem (Latinam) vulgatam, per Hebraicos & Græcos codices tanquam per fontes (ut ajunt) in locis aliquibus, quoad ipsam sententiam attinet, emendari. *Non licet hoc facere.* Quin potius Græci & Hebraici codices, *si ubi à nostrâ editione dissideant*, per nostram corrigendi & emendandi sunt. Nam hanc Ecclesia peculiari definitione *per omnia* probavit, *non illos*: quanquam nec illos rejecit, *nisi ubi huic nostræ editioni fortè contradicerent.* Hæc Valentianus. Mera verborum portenta & blasphemiarum monstra non argumentando sed tartareis flammis vindicanda!

128. At inquis? forsan in Latina vulgata interpretatione (aut etiam fortè in postremis illis Bellarmini verbis) legendum *In profundis*, in Ablativo. *Ira ut Convertam in profundis, nihil aliud sit, quàm eos, qui sunt in profundis maris, extraham & convertam.* An hoc effugio, Bellarmine, tuam vel Papæ tui vel Latinæ versionis autori-

Gregorius de
Valentia in anal.
fidei Cathol.
parte 8.

tatem credas salvatam? Nihil verò obtinueris minùs. Nisi quòd hoc effugio & tuam & Papæ tui auctoritatem coram orbe Christiano multò tetrùs fœtere facis.

129. Nam attende saltem paulisper hîc, assumpto simul ad te quodam vel ex vestris tyronibus Linguarum & Logices, qui tibi, ni tam crassa intelligas, aurem vellicet. Qualis enim est consequentia? In quibusdam codicibus hic legitur *In profundis*: Ergo rectè hic ex Hebræo potest verti *in profundum*.

130. Nam in hunc modum oportebat tuum argumentum concludere, si quicquam id debuisset ad rhombum facere: sicuti expressè proposueras, & hic erat quæstionis status, quem tu defendere susceperas. Non enim prima fuit quæstio, an in quibusdam Græcis aut Latinis codicibus legatur *In profundis*, aut an talis lectio tolerari possit: sed, an pro verâ interpretatione etiam accipienda sit versio quæ habet *In profundum*, quam Concilium in *universali & absolutâ Translationis Latine canonizatione* pro authenticâ habere præcepit: & quam tu quoque cum illâ alterâ lectione non minùs unâ rectè ex Hebræo defendi, existimas, nisi testimonium Rabbi Davidis (pro te allegatum) à te imò teipsum à te dissentire velis.

131. Quocircâ, si vel per hebetudinem vel per malitiam primarium quæstionis præsentis statum percipere non quivistis; adhuc Bellarmine cum tuo Papâ, Cardinalibus, Episcopis, & quicquid apud vos est oleati ordinis, arrigite aures & etiamnum attendite controversi negotij propositum scopum.

132. Quæstionis status est & manet hic, an versio Latina *Convertam in profundum*, in hoc loco ubi Hebræus originalis textus quoad verba & sensum habet *Convertam ex profunditatibus*, sit interpretatio vera, authentica, divina? qualem sanè eam acceptari vult Concilium Tridentinum,

* Verba Concilij Trident. Sess 4, Decret. de Canonicis scripturis.

133. Sententia enim Concilij apertè hæc est, & Psalterij Latini & reliquorum vulgatæ versionis librorum partes * omnes esse sacras & canonicas; ubi præsertim insuper cum incorrupto suorum locorum originali Hebræo textu congruere deprehendantur. Atqui hæc Psalterij Latini particula (*In profundum*) rectè vertitur ex textu Hebræo hic incorrupto: assumente sic Cardinale Bellarmino, optimo Concilij interprete. Ergo hanc etiam particulam, ceu veram, sacram & Canonicam suscipere jubet decretum Concilij.

134. Neq;

134. Neque enim etiam usquam Concilium Tridentinum monuit, reliqua solummodo in Latinâ versione Psalterij esse pro authenticis amplectenda; hanc| verò ejus particulam esse pro vicio librariorum agnoscendam. Nusquam hoc in Concilij actis legitur. Quod si tamen fortè hæc fuit implicite Patrum Concilij mens, tenebantur omninò jam tum etiam in tam notoriâ lectionum discrepantiâ expresse designare, utra ex duarum interpretationum diversitate fuerit agnoscenda pro lectione verâ, utra pro viciosa, ne, occasione facti decreti, lector viciosos librariorum errores pro authenticis oraculis divinis arriperet. Quinimò, si Concilij mens fuit, hanc Psalterij particulam (*In profundum*) esse viciosam, tu quare eam defendis, Cardinalis? quare, eam cum *textu Hebræo hic incorrupto rectè congruere*, contendis?

135. Ex hinc jam *questionis alterius status* existit, an porrò, cum hæc versionis Latinæ particula reipsa textui Hebræo è diametro contradicat, jam involare oporteat in Hebraicum textum eum, que *mutare & corrigere ex Latinâ versione: non hanc ex illo*. Sicuti sententiam Concilii vester Gregorius Valentianus supra apertè declarabat.

136. Hi, hi, Cardinalis, erant utriusque quæstionis cardines: his tuendis debebant collimare tuæ responsionulæ, nisi tibi tutius visum fuisset extra oleas expatiari. Nos quæ sivimus de Româ, tu interim de asino delapsus proripiste nescio quò in discursum quendam de historijs novi orbis. Nos quæ sivimus, an recta & authentica & irreprehensibilis versio sit, *Convertam in profundum*; tu nobis responsurus, sumis tibi in manûs discursum de libellis quibusdam, qui habent *Convertam in profundis*. Aptè sanè & lepidè! Talibus Cardinalibus, talibus propugnatoribus dignum est regnum Antichristi proprium! Num disputatorem subtiliorem quàm te potuisset vel ipsa Minerva regno Pontificio præficere?

137. Vides jam, Bellarmine, quid sit, contra solem velle loqui? En! perstrinxerunt veritatis radij conscientiam tuam, ut nolens volens fateri cogaris, quòd *melior & verior* hic sit sensus, quem exhibet textus Hebræus præpositione *Ex*: imò apertè frateris, quòd hic sit intelligendum *nil aliud*, quàm eos qui sunt in *profundis maris extraham & convertam*: nihilominus audacia im-

prudenter contendis, alteram etiam lectionem Latinam *In profundum* (quæ Præpositioni *Ex* è diametro opposita est) esse simul veram imò rectè cum Hebræo congruentem; adeoq; vi decreti Tridentini, authenticam, incorrigibilem & sacrosanctam.

138. At (inquieras) Rabbi David Kimhi dicit, Præpositionem *IN* aliquando alicubi alibi, ut Deuter. 33, significare *IN*. Hoc omnium pulcherrimè à te tam acuto regni Pontificij propugnatore.

139. Primum, vide mihi, quàm convenienter tu testimonium Rabbinorum ac Grammaticorum huc alleges. Autores illi, quando ajuñt, Præpositionem *IN* aliquando significare *IN* non tam hoc volunt, quòd significet Præpositionem *IN* cum Accusativo constructam, sed intelligunt potius Præpositionem *IN* cum Ablativo junctam.

140. Id quod vel maximè patet ex ipso etiam exemplo potissimum, quod Pagninus ex Kimhi adducit, præter quod ferè nullum aliud aliqua probabili specie pro stabilienda isthac significatione *IN* adducere consueverunt: nempe ex Psal. 72, 16, ubi textus Hebræus habet de Christianis novi testamenti, efflorescent ex urbe ceu herbula terræ. Hic, dicit Pagninus & Kimhi, Præpositio *IN* ponitur vice *IN*, ac si nempe dicatur, Floridantes erunt in civitate ceu herba terræ. Ubi jam sensus summa fermè par manet, quem alioquin exhibuisset proprietas Præpositionis *Ex*.

141. At quid jam hoc Bellarmine, ad asserendum tuum *In profundum*? qui jam id testimonium ad tuum institutum accommodabis? In tuo utiq; *In profundum* nec Præpositio *IN* cum Ablativo constructur, nec etiam manet idem sensus quem alioquin exhibuisset proprietas Præpositionis *Ex*, sed prorsus in contrarium subvertitur.

142. Sed ponamus, in illo altero loco, Deuter. 33. Jehova venit in Sinai, R. Davidem Kimhi intelligere Præpositionem *IN* cum Accusativo, ac si dicatur, Jehova venit in montem Sinai: an hoc pacto, Bellarmine, putas iam causam tuam abundè evictam?

143. Ex purga aures, Cardinalis, & eas huc arrige cum Papa tuo & cum reliquis vestris oleatis proceribus, & etiamnum percipite præsentis questionis controversæ statum. Non hic controvertitur, an vel vos vel Rabbi David vel hoc vel quidvis aliud testemini, sed an vos & Rabbi David rectè testemini, quòd in præsentem Psalmi 68 loco Præpositio *IN* cum suo Nomine rectè ex He-

bræo

Pagninus in institut. lib. 1. c. 15.

breo textu authentico valeat converti in sensum contrarium, In profundum: & an veritas illius testimonii tam sit solida tam rata & immutabilis, ut propterea oporteat (iuxta vestri Concilii sanctionem) æternorum cruciatuum anathemate devovere eos, quicumque illam contrariam interpretationem Latinam deserere velint.

144. Quid si enim probemus & convincamus, neque in hoc Psalmi neq; in illo ipso Deuteronomij loco præfixum *Q* rectè posse verti per Præpositionem *IN* cum Accusativo constructam? Id quod facilimè hinc syllogismis effecturos nos spero.

145. Si significatio *IN* cum Accusativo constructi dictioni *Q* congruit, competit ei aut propriè aut impropiè. Sed, cum & supra chesi 117 ex irrefragabilis Scripturæ recensitis similibusque infinitis exemplis, & ex præcipuorum Grammaticorum ipsiusq; * Bellarmini confessione, constet, Particulam præfixam *Q* per se & sua natura vim obtinere Præpositionis remotivæ: non utique potest ei Præpositio *IN*, è contrario designans motum in aliquid, unà propriè competere; quippe cum, ex communis principii suffragio, impossibile & absurdum sit, uni eidemq; simplicissimæ voculæ, in uno eodemq; constructionis genere constitutæ, duas simul inter sese è diametro pugnantissimas significationis naturas sive proprietates seu proprietates iunctim assignari deberi. Relinquitur proinde, significationem *IN* cum Accusativo constructi, si Præpositioni *Q* ullo modo competat, competere ei non nisi impropiè & per figuram antiphraseos.

146. Jam porrò: In quibuscunque textibus Biblicis originalibus proprietas significatûs in expositione caret omni absurditate, officiente contextûs cohærentiæ aut analogiæ fidei: in illis nemini hominû inter interpretandum licitum est à significatione propria recedere ad figuram antiphraseos seu ad significationem contrariam. Nam, uti sæpius iam inculcatum, æquivocandi libidini nullo pacto permittendum est, ut ullibi expositionem propriam, sine omni urgente necessitate, invertat in significationem antiphrasticam seu contrariâ, ne nempe hoc pacto, originali authenticæ sententiæ propriæ contradicendo sine causa, suum sputum sanctissimo ori Spiritus sancti petulanter opponat. Et quæ, per Deum immortalem, mansura esset ullius sententiæ Bi-

* Vide Bellarminum in instit. lib. 4. cap. 1. § 2.

Propositio major.

blicæ certitudo, si, sine omni urgente proprii significatûs absurditate, liceret eum in contrarium vertere, & sic sensum inversum deinde sanctione publica ceu authenticum obtrudere?

*Assumptio, &
eius probatio.*

147. Iam verò, in præsentè Psalmsi versiculo illa primigeniæ Davidicæ dictionis *De* significatio propria adeo absoluta est ab omni sensûs absurditate, ut, Bellarmine, nolens volens ipse cogaris versionis vestræ vulgatæ expositionem ad talem proprietatis Præpositionis Hebrææ sensum criminibus intorquere. Fateris enim apertè, illa verba hoc loco nihil aliud velle, quàm *eos, qui sunt in profundis, extraham & convertam*. Nisi fortè velis statui, te ipsum quoq; in tali expositione contraire analogiæ fidei.

148. Sed & in verbis Deuter: 33, 2, sensum proprietatis Præpositionis *De* carere omni absurditate, testatur ibi Latina vulgata versio vestra authentica, quæ eodem sensu expressè reddit, *Dominus venit de Sinai*.

149. Neque verò etiam ulterius te, Bellarmine, eò audaciæ aut impudentiæ procedere velle autumo, ut velis, statuere & dicere, Præpositionem *De* esse in his duobus textibus Hebræis *viciose & ex errore positam, adeoq; ibi minimè originalem*: nisi iterum contra te ipsum & contra tua hæcenus tradita & contra ipsum solem loqui velis.

Conclusio.

150. Cùm ergo, tua ipsius conscientia iudice, Præpositionis originalis *De* proprietates in his duobus textibus nullam in expositione pariat sensûs absurditatem, utique, vi comprobatæ interpretum Regulæ, *à d. a. p. a. r. t. i. v. o. s.* concludimus, quòd in illis duobus Spiritus sancti textibus interpretandis nullo modo licitum sit illam proprietatem originalis Præpositionis convertere in vim contrariam: quippe cùm omnis absit necessitas, quæ ob proprii significatus hic absurditatem queat necessariò ad figuratorem antiphrasticam adigere.

150. Textûs proinde Spiritus sancti originales eorumq; sensum proprium sponte, sine ulla urgentis necessitatis causa, in contrarium sensum invertere velle, id (ut dictum) committi non posset sine insigni in Spiritum sanctum & authenticorum scriptorum autoritatem injuria & contumelia.

153. Neque enim est, quòd Papistæ contra Propositionis majoris universalitatem excipere & occinere nobis velint, Spi-
ritum

ritum sanctum dedisse Pontifici & Ecclesiae ipsi potestatem, verba vel literalem proprium sensum primigeniorum divinorum oraculorum nunc temporis voluntarie, sine ulla etiam necessitatis causa, in contrarium convertendi.

153. Quòdenim tale quid concedere velle, Spiritui sancto nunquam in mentem venerit, habemus in eo ejus voluntatem dudum expressam & revelatam, cum non aliquibus solummodo sed toti & universae Ecclesiae serió interdixit, *quicquam ad verba Dei addere aut de eis deradere*. Deuter. 12, 32. Proverb. 30, 6. Apocal. 22, 58 & 19.

154. Cùm ergo universae Ecclesiae nunquam concedere voluerit dehinc potestatem, quippiam saltē ex divini verbi scriptis *ⲙⲓⲛⲉⲣⲁⲇⲉⲛⲁ* deradendi: multò minùs itaq; fecit eidem potestatem, verba Scripturae eorumve literalem proprium sensum voluntarie sine ulla necessitatis causa *in contrarium subvertendi*.

155. Ac ut *ἐν περὶ σκίαις* ponamus, prodigiosum istud paradoxon esse per se verum, quòd Spiritus sanctus dederit Pontificio scrinio aut Ecclesiae ipsi potestatem mutandi aut in contrarium convertendi Biblicos textus: non ergo licitum esset Papam & Cardinales aperto ore mentiri & dicere, illam sensus primigenij inversionem posse nihilominùs rectè deduci ex eorundem locorum *textu Hebraeo*, (sicuti nihilominùs unà id quoque obtinere supra Bellarminus impudenter contendebat) sed tenerentur tunc utique in hujusmodi textuum mutationibus propalam fateri, se talem contrarium & cum Hebraeo textu pugnantem sensum, *non ex primigenio Hebraeo textu sed ex suomet judicio et plenaria contradicendi potestate* introduxisse.

156. Sed, ut tandem protentofissima ista Papasinalis scrinij portenta missa faciam, summa & conclusio rei est & manet haec: Ne sano quidem homini ulli, nedum Christiano, in mentem unquam venire potest, quòd Spiritus sanctus Papis illis, primogeniorum textuum Hebraeorum & Chaldaeorum Biblicorum plerunq; per se omnium extremè ignavis, commiserit nihilominùs ac concediderit summam potestatem illos ipsos textus authenticos eorumve sensum *ἐν ἀεὶ ἀγέτωις* mutandi & in contrarium subvertendi.

157. Si enim de homine sano nequam sentire licet, quòd alicui idiotæ ad extremum vitæ halitum imperito, literas restituendas, cæco colores judicandos, & a sino lyram reformandam committere velit: & quì ergo de divinâ Spiritûs sancti sapientiâ tam abjectè sentiamus? ipsum imperito-cæc-asino-Papæ committere voluisse potestatem *ἐκ ἀπειρίας* mutandi & in contrarium subvertendi sententiam authenticorum textuum Bibliorum, in quibus non tam literularum, non colorum, non lyrarum restitutio sed una universa humani generis salus subnititur,


158. Sed quid pluribus? potestas illa textûs Biblicos in contrarias sententias subvertendi inventum est Papparum, in sacris originalibus scripturis Propheticis extremè rudium, quod per Pontifices non nisi Satanas, Dei & Scripturæ hostis, ex infernalis sentinæ barathro in orbem Christianum eructavit: cuius tamen flagitiosi sceleris Babylonicam illam meretricem in hunc usque diem nunquam pudere cœpit. I nunc homo, & hujusmodi vicarijs Christi tu animam, tu salutis tuæ universalisq; Ecclesiæ proram ac puppim concrede!





לְעוֹלָם	לְכֹל הָאִישׁ	כִּי מֵרָאשִׁית
בְּאָדָם :	לְשׁוֹן קוֹדֵשׁ	אֲשֶׁר יוֹדֵעַ
אֱלֹהִים	בְּשִׁמְחָה עִם	מְדַבֵּר הוֹגֵל
וְבָרִים :	כָּלִי מִלִּץ	וְכֵן אֹתוֹ
נְבִיאִים	דְּבַר סִפְרֵי	רְאוּת יָכֹל
קְרוֹשִׁים :	פְּלֵאִים אֶת	לְחֻמֵּי כָל
וְאוֹרֵה	לְנַפְשׁוֹ	אֲשֶׁר מְשִׁיב
עֲטָרָה :	וְלִרְאשֵׁים	וְנוֹפֵרֵת צוּף
חֲנֻפִים	בְּכַח אֶת	מְשִׁבַּר הוֹגֵל
אֱלֹהִים :	כְּתַב רוּחַ	אֲשֶׁר בּוֹסִים
מְשִׁיחוֹ	בְּרַעַה עַל	וְנוֹסְרִים
כְּבוֹדוֹ :	שְׁמוֹ גַם עַל	וְעַל עֵמֶת
אֲנָשִׁים	תְּהַרֵּה לָנוּ	אֲרוֹנֵי אֵל
חֲסִירִים :	וְדַעַה אֵין	גְּבוּרַת לֵב
צְדָקָה	בְּעֵרָה אֶת	וְגַנִּים גַּם
בְּחֻכְמָה :	כְּתוּבָה	מַגְלִים אֶת
בְּמוֹרָה	לֵךְ הָאֵב	לְמַעַן הוֹד
תְּהַלֵּל :	וְלִרוּחַ	לְבֶן-הָאֵל

M. Philippus Arnoldi Cintinensis
Boruffus F.



M. Philipp Arnoldi
Bibliop.



01 A. 6640


ULB Halle 3
003 108 309



Sb.

VD 17







3.

THESAURVS
DICTIONVM HAGIO-
GRAPHICAE LINGVAE CHALDAEAE EX
CANONICAE ANTIQVITATIS PURITATE, DA-
nielis nempe & Ezra residuis monumentis Chaldaeis colle-
ctus: In quo concinnando in id potissimum opera data est, ut
dictiones Hagiographicæ Chaldaæ à crudioribus Iudæo-
rum & Pontificiorum, præsertim Roberti Bellarmi-
ni & Guidonis Fabricij & aliorum illitis æqui-
vocationibus ac depravationibus
defecarentur.

*In illustri Vitebergicâ Academiâ publicè pro-
positus disputationi tertiæ:*

Cujus sectio prima *σὺν Ἱεῶ*

In Auditorio majore Theologico

Ad diem 25. Octobr. ventilabitur,

P R A E S I D E

M. ABRAHAMO GIBE-
LIO TORGENSI,

R E S P O N D E N T E

M. PHILIPPO ARNOLDI
Cintinensi Borusso.

V V I T E B E R G A E ,

Typis Cratonianis, per Iohan. Gorman, Anno 1606.